

archiep. Compostellani, supremi Italici consuii præsidis; dono accepi ab illust. D. Ferdinando de Vera et Vargas archiepiscopo episcopo Cuscensi, regio consiliario, magno magni avunculi nepote. Latinis litteris transcribitur a viro docto, ut apparebat, ipso in limine indicabatur.

4. Etiam Latinis litteris scriptum ex bibl. viri nobilis D. Joan. de Fonseca et Figueroa amici, huius olim nostri; in seren. Ferdinandi Hisp. Infantis, cardinalis Toletani bibliothecam postea translatum. Quod quidem ex Bertramiano, cum iisdem mendis scateret, transcriptum crediderim.

5. Etiam Latinum, ab Alvaro Gomezio a castro Eulaliensi viro cl. Franciscus Pisa Toletanus Th. D. mihi, dum viveret, amicissimus habuit.

6. Latinum, Antonii Cotarrivæ regii consiliarii, et Toletanæ Ecclesiæ et Academiæ scholarchæ, illustris. Didaci Hispaniarum præsidis fratris viri cl. cognati mei, omnium emendatissimum.

7. Gothicum, manu illust. Garsia Loaisa archiep. Toletani in aliquot locis interpolatum. Habui a Petro Salazar de Mendoza, canonico Toletano, cujus obitum nuper omnes boni nobile que luxerunt.

8. Gothicum aliud, quo usus fuit magnum Hispaniæ decus, Joan. Mariana S. J., amicorum meorum princeps. Habent hodie illius socii, apud quos Toleti tumultus. Sed nullo p̄ cineres ornantur monumento, nullo distinguntur titulo. Nec opus, cum viro illi incomparabili cælum præmium fuerit, orbis sepulcrum, fama inscriptio.

## PAULI EMERITANI

DIACONI

### DE VITA PATRUM EMERITENSIVM.

#### Præfatio.

*Virorum orthodoxorum, maximeque catholicorum, prorsus, vera nullus esse ambigat miracula, quæ, sanctissimus egregiusque vates Romanæ præsul urbis Gregorius, inflammatus paracliti charismate Spiritus,*

<sup>a</sup> *Pauli.* Quem multi hactenus desiderantes, de eo honorifice meminerunt, uti illustriss. Cæsar cardinalis Baronius tom. VII, ad an. Dom. 539. Garsias Loaisa Giron archiepisc. Toletan., Hispaniarum primas, not. ad concil. Tolet. III, et viri doctissimi, Ambr. Morales, historiographus regius, l. b. II, Chron. Hisp., cap. 71, et tractatu de Libris ad historiam auxiliiaribus tom. II prælixo pag. 3, et not. ad D. Eulogii Memor. SS., lib. II, cap. 1; Joan. Mariana S. J., lib. V de Rebus Hisp. cap. 15; Hieron. Romanus Hisp., Augustin., lib. II Hist. Eccl. Hisp., c. 27; Ludov. de Angelis Lusit., Augustin., lib. IV de Laud. B. Aug., c. 20; Cornel. Lancilotus Belga, August., lib. II de Vit. S. Aug., c. 8; Joan. Marquez Hisp., Augustin., c. 12; Origin. Erem. S. Aug.; Bernardus Britto Cisterciensis, historiog. Lusitan., lib. VI Monarch. Lusit., cap. 19 et 20; Hieronym. Romanus S. J., cap. 16 Hist. Emerit. apud Joan. Marq.; Gaspar Escolanus reg. Valent. rer. historiog. lib. II Hist. Valent., cap. 12; Franciscus Padilla ecclesiæ Malacitanæ thesaurarius, cent. VI Hist. Eccl. cap. 50, et cent. VII, cap. 17; Martinus Carrillo, abbas Montargonensis, in Annal. non semel; Barnabas Mereno de Vargas, civis et senator Emeritensis, discours. 24 Nob.; L. Rufericus Carus, not. ad M. Maxim. Chronic. ad an. 576-590.

<sup>b</sup> *Diaconi Emeritensis.* Bene ut a Paulo alio Emeritensi episcopo, de quo noster Paulus cap. 5 meminit, discernatur. Præterea ipse Paulus huc se diaconatus, honore illustrem prædicat cap. 1 cum ait: *Ego indignus, et omnium peccatorum primas erita Christi,* etc.

<sup>c</sup> *Liber de Vita et miraculis Patrum Emerit.* Ita in omnibus fere Mss.; in aliquo, *Vitæ PP. Emeritens.* sed placet inscriptio prima, quæ eam quam Dialogis suis D. Gregorius Magnus præfixit, representat; quemque se maxime imitari testatus est Paulus initio hujus operis. Gregoriana *ἐνυπόγραφον* sic se habet: *De Vita et miraculis Patrum Italicorum.* Sed de vitæ,

<sup>c</sup> *an vitis?* Pro vita Gregorius Turonensis præfatione lib. de Vita PP. sui sæculi, cum ait: *Quæritur a quibusdam utrum VITA sanctorum, an VITÆ dicere debeamus?* A. Gellius et alii grammaticorum *VITAS dicere voluerunt.* Num Plinius auctor in III Artium Grammaticæ lib. ait: *VITAS antiqui cujuscunque nostrum dixerunt. Sed grammatici pluralem non putant habere VITAM.* Unde manifestius est, rectius dici *VITAM PATRUM, quam VITAS, quia cum sit diversitas meritorum virtutumque, una tantum omnes vita corporis alit in mundo.* Quam sententiam secuti videntur Evagrius monachus, qui apud Honorium Augustin. cap. 40 de illust. Eccl. Script., scripsit multa necessaria monachis, scilicet *VITAM PATRUM;* necnon Pelagius diaconus, qui apud Sigebertum, cap. 116 de Eccl. Script. transtulit in Latinum de *VITA et doctrina Patrum* lib. XVI; quemadmodum Joan. subdiaconus apud emend. cap. 17, transtulit de *Græco in Latinum de VITA et doctrina Patrum* lib. I. Pro *VITIS* tamen obtinuit usus in *VITIS PATRUM,* de quibus plura eruditiss. amicus ille noster, ac de Ecclesia Dei et rep. litteraria optime, si quis alius, meritis, quem incredibili utriusque dispendio utraque ad plures abeuntem pride luxit, H. Rosweydydus S. J., Prolegom. I in Vit. PP.

<sup>d</sup> *Præfatio.* In Mss. hæc præfationis et capitulum distractio prorsus deest. Continuata libelli hujus series legatur, ut Plinianis operibus, aliisque ex antiquitate scriptoribus accisisse testantur omnes, qui vetustas manuscriptis evolvendis operam impenderunt; nosque non semel sumus experti. Accessere viri docti, qui tædii levandi causa, et studiosæ juventutis ajuvandi studio in capita sectionesve opera antiquorum partiti sunt, feici nonnunquam eventu, aliquando secus; unde erroribus e veræ lectionis truncatione natis ansa sæpe præbita est, queis dignoscendis averruncandisque lyncea eruditorum acies cum fructu sæpius intenta fuit. Paulo Emeritensi eandem adhibuit operam (ut reor) primus, quisque ille fuit, hujus operis transcriptor; nam in duobus quæ habui execu-

*Dialogorum in libris veridico edidit s, prænotationis stylo; quæ olim scilicet omnipotens Deus servulis pro suis bene sibi placitis, propter honorem nominis sui patrare dignatus est; ne quælibet ob hoc dubitanti quispiam æstuet animo, quod priscis jam temporibus gesta esse videantur, et fortassis fidem plenam minime æcco imodet, et præfatum sacratissimum virum, vas electionis (Act. ix, 15),<sup>b</sup> sacrarium Spiritus sancti, aliqua vanis et æbulosis verbis fuscasse opinetur; dum<sup>i</sup>, luce clarius evangelicæ auctoritatis voce cunctis manifestetur Domini auctoris maiori credulitatis robore firmetur, ea modernis temporibus in i Emeritensi urbe fuisse narramus; quæ non relatu aliorum agnovimus, neque fictis fabulis didicimus; sed<sup>k</sup>, quæ ipsi eo referente auribus nostris audivimus; quem e corpore mirabiliter egressum, et ad ætherea regna pervenisse non dubitamus.*

plaribus recenti manu exaratis hæc adjecta reperiuntur initio ipsius operis: *In Pauli diaconi Emeritensis lib. de Vita et miraculis PP. Emer. Index capitum. Nos enim partiti sumus in capita distinctionis causa. Partitio vero ipsissima est, quam ego etiam præxi representavique; nec immutare eam volui, tum quia auctoritate illorum exemplarium confirmatam vidi; tum etiam, quia non inconcinne dissectam judicavi. Hæc de titulo. De re vero Paulum hunc scriptorem fere omnium vestigiis instituisse, cum præfationem hanc opusculo huic prætexuit. Sic Eulogius Martyr suum Sanctorum Memoriale præfatione Apologeticum Martyrum prologo, documentum martyriale proœmio auspiciat est. Sic, quicumque perlegit, ne rem notissimam testimoniis obtundam supervacaneis. De Scriptoris nostri ætate dicam ad cap. 12 calcem. Nunc cætera prosequar, quæ in præfatione.*

<sup>a</sup> *Vere esse nullus ambigat miracula, quæ sanctiss., etc. Audi novator, vetusti scriptoris de Gregorianis Dialogorum libb. iudicium; antiquitatem novitati præpone, et tandem centuriator aut quisquis*

*sis ex eo Alastorum cœtu*

δὲ κατὰ λίμνην

Ταύτου βασιλέων ἡγούμενος ἔμαθα πάντα

Lemannum qui prope stagnum

Ranarum est cunctis dux cultus honoris diebus, obmutescit. Nec iis Dialogorum libb. parvum auctoritatis accessit e Zachariæ PP. J. auctoritate, qui eos Græcis auribus dedit, te te Joanne Diacono cap. 75, lib. iv, Vitæ Gregorianæ; propter quos Joan. Damascenus; Euthymius, cæterique Græci scriptores horum voluminum auctorem Gregorium Dialogum appellant, de quo vid. Sixtus Senensis lib. iv. Biblioth. Sanct., uti de toto opere Melchiorem Cauum l. h. ix de Loc. theolog. cap. 6, et Gerard. Joan. Vossium, lib. ii de Script. Latin., c. 23.

<sup>f</sup> *Sanctiss. egregiusque vates. Præter alia honoris et sanctitatis plena D. Gregorii meritis debita elogia, etiam vaticinium illi tribuit Joan. Diaconus cap. 54, lib. iv ejusdem Vitæ.*

<sup>s</sup> *Prænotationis stylo. Ipse Gregorius præfat. lib. i Dialog. : Quæ jam prolata sunt melius insinuo, si ea quæ per inquisitionem ac responsionem dicenda sunt, sola nominum prænotatione distinguo. Joan. Diacon. cap. 75 lib. iv i, eius Vitæ ex eodem : Hinc Gregorius roboratus, SS. miracula PP. cum Petro suo diacono, quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrumpens, sola nominum prænotatione distinxit.*

<sup>A</sup> <sup>b</sup> *Sacrarium Spiritus sancti. Eodem recidit appellatio, qua virum sanctiss. Gregorium indigitat Honorius Augustodunensis lib. de illustrib. Ecclesiæ Scriptorib. ad an. 136 : Gregorius Rom. urbis episcopus, organum Spiritus sancti. Nec mirum, cum Petrus diaconus ejus confirmasset jurjurando se vidisse Spiritum sanctum, quasi columbam, super caput Gregorii sedentem, rostrum suum ori illius inserentem. apud Sigebertum cap. 41 de illust. Eccles. Script. quam etiam rem prodigio confirmavit.*

<sup>i</sup> *Dum luce clarius evangelicæ auctoritatis voce manifestatus, Dominum semper operasse, etc. Christus apud Joannem cap. v, 17 : Pater meus usquemodo operatur et ego operor. Quamobrem abeant iterum gemina viperarum in malam, hoc est se dignam rem, et ex miselli homuncionis tenuitate divinam omnipotentemque majestatem metiantur, et miracula a nostris etiam temporibus tollant. Deus certe semper et ubique materiam fecit mirabilium suorum, ut ait divinus Psalter, et quid est (rogat aurei oris Joannes in psalm. cx) memoriam fecit mirabilium suorum? Nunquam, inquit, miracula facere intermisit. Hoc enim est, Fecit memoriam, non cessavit; non destitit per omnem generationem facere miracula; et per res admirabiles excitare crassiores, etc., multa autem videri possunt, et privatim, et in domo, et in civitatibus fieri miracula. Eximia illa Basilii Seleuciensis vox est adversus incredulos potentia divini æstimatores, lib. ii, de S. Thecla, Μέχρι γὰρ ἄνθρωποι ὄσι, καὶ τὰ θαύματα αἱ εἶσαι πηγάζοντα, αἱ βλύζοντα, αἱ τε θελόα. αἱ πάντως ἰώματα. Donec namque erunt homines, simul miracula fontis instar abundabunt, semper scaturlent, semper florebut, semper s. lutifera omnino erunt. In re notissima*

... verbum non amplius addam.

<sup>j</sup> *In Emeritensi urbe. De qua videlicet ad notarum calcem Ἀποσπασμάτων.*

<sup>k</sup> *Quæ ipsi eo referente auribus nostris audivimus, etc. Duplex fidei stabilicndæ ratio, et virum omni exceptione majorem vidisse, et ab ipso fide bona relata audivisse. Nam etsi teste Plauto, Trucul.*

Pluris est oculatus testis unus qui auriti decem :

Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, plane sciunt.

Verissimum illud apud Strabonem ii Geog. scitum est, Ὁ δ' ἀξιῶν μόνου; εἶδεναι τοῦ; ἰδόντα; . ἀναρπεί τὸ τῆ; ἀκοῆ; κριτέρου; ἢ τῆ; πρὸ; ἐπιστήμῃ; ὀφθαλμοῦ πολὺ κριτέρου; ἐστῖ. Qui solos eos qui viderunt scire autumat, auditioni, quæ ad scientiam oculis præstantior est, iudicium adimit.

## OPUSCULUM INCIPIT IN NOMINE DOMINI.

### CAPUT PRIMUM.

*Augustus puer, minister ecclesiæ S. Eulaliæ Emeritensis, moriturus per visionem ducitur ad tribunal gloriæ.*

<sup>a</sup> *Puerulus quidam non grandi adhuc ætate, et, ut*

<sup>a</sup> *Puerulus... dum cæteris cœvis suis ac sodalibus... in domo egregiæ virginis Eulaliæ. Ex more nimirum antiquo, quem Patres concilii Toletani ii, cap. 1, docuerunt, cum aiunt: De his quos voluntas parentum a primis infantia annis clericatus officio mancipavit; statim observandum, ut mox cum detonsi vel mo-*

<sup>D</sup> *plenus dicam, ephebus, nomine Augustus, insons, simplex, litterarumque inscius, dum cæteris cœvis ac sodalibus suis puerulis, fidei mente in domo egregiæ virginis Eulaliæ sui servitii ministerium,*

*nasterio electorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia, a præposito sibi debeant erudi. Et referatur Dist. 18 de his qui volunt. Sic in concil. Tolet. iv, cap. 24, Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum: nihil enim incertius quam vita adolescentium. Ob hoc constituendum oportuit, ut si*

quod ei a<sup>a</sup> praeposito cellae, venerabili viro, fuerat A delegatum, perageret; repente hunc contigit agrotasse: cumque ad<sup>b</sup> eum visitandum, ut moris est, multi ambularent, crebriusque ipse pergerem, en accidit nocte quadam explicitis vigiliarum solemnibus (nam in eadem sancta Ecclesia mos est, ut hiemis tempore seorsum<sup>c</sup>, Matutinum officium, facto intervallo modico admittente Domino celebretur) quo igitur temporis intervallo, cum ad videndum eum perrexissem; ingressusque cellam, in qua ipse recubabat, cunctos, qui aderant, ita reperi sopore depressos, ut nullus egrum ad miracula fuisset expergefactus. Introivi, lumen vero quod ibi accensum erat extinctum inveni; qui protinus omnes ante eum jacentes consurgere monui, et lumen quod extinctum fuerat, denuo accendere imperavi; B adhibitoque mox lumine, praefatum Augustum, quem admodum se haberet, sciscitatus sum. At ille inquit: Equidem quantum ad praesentis pertinet vitae spem, fateor ita iam omnes corporis mei artus resolutos, ut nihil virium omnino remanserit; quantum vero pertinet ad spem vitae aeternae, non solum spem habere me gaudeo, verum etiam ipsum vitae aeternae auctorem Dominum Jesum Christum cum angelorum catervis, atque omnium sanctorum innumerabiles multitudines, me vidisse confiteor. Dumque haec quae vidisset audissem, statim in stuporem versus vehementer contremui, atque ut mihi cuncta quae viderat sigillatim narraret, d<sup>d</sup> deprecavi. Ad haec, inquit ille: Testor Dominum caeli et terrae, me tibi phantasticam visionem nullam referre; sed, ut magis credas, fateor etiam tibi me hac nocte minime dormissem. Et dum haec dixisset, ita exorsus est: Fui in loco ameno, ubi erant multi odoriferi flores, haec viridissimae, rosae et lilia, et coronae ex gemmis et auro

multae, vela holoserica innumerabilia, et aer tenuis flabrari frigore flatu suo cuncta refrigerans: ibi etiam vidi sedes innumerabiles positas ad dextram laevamque, in medio vero multum sublimior posita praeminebat; ibi namque astabant pueri innumera-biles, omnes ornati, et pulchri praeparantes menses, et convivium eximium, non de qualibet pecude, sed tanquam de altilibus omnis parabatur ferculorum copia, et omnia quae parabantur erant candida instar nivis, et praestolabantur adventum sui regis. Tum deinde ego indignus (operae pretium mihi arbitratus fore, tantae rei miraculum, si plenius referente illo audirem) aio ad eum: Dic mihi, obsecro, dum istud, quod narras parabatur, tu quid faciebas? Ille vero respondit: Omnium pedes osculabar, et illi dicebant: Benedictus Deus, qui te bene adduxit. Dum haec vero dicerent, et omne ministerium praepararent, subito advenit ingens multitudo candidatorum, omnes auro et lapidibus pretiosis ornati, et coronis rutilantibus redimiti; et una acies ipsius multitudinis ad dextram, alia vero ad laevam partem gradiebatur: in medio autem eorum veniebat vir splendidissimus, nimiumque pulcherrimus, forma decorus, aspectu gloriosus, statura procerior cunctis, lucidior sole, candidior nive; cumque pervenissent ad praeparatas sedes, sedit pulchrior ille vir in eminentiori loco: caeteri procidentes adorantesque eum, resederunt in sedibus suis. Statim denique benedixit omnes; at illi adoraverunt semel, et iterum, ac tertio; deinde ferculorum praeparatio apposita est illi. Dum caepissent epulari, dixit ille speciosus vir qui sedebat excelsior, ad eos qui circum astabant: Aliquis hic rusticus est? Illi vero responderunt: Adest, Domine. Tum demum ille: Praesentetur conspectui meo. Ego autem stabam a longe, et intuebar,

qui in clero puberes aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubricae aetatis annos non in luxuria sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatis imo seniori, quem magistrum doctrinae et testem vitae habeant. Hinc seminarium clericorum institutio orta, quam Alexander IV, et concil. Lateran. I, cap. 11, disposuit.

<sup>a</sup> A praeposito. Sic illum vocat concil. II, Tolet., c. 1, Qui etiam senior et magister in IV, cap. 14, dicitur.

<sup>b</sup> Visitandum ut moris est. Nimirum et Sapientiae praescripto c. 7, Eccles.: Non te pigeat visitare infirmum. Ex his enim in dilectione firmaberis. Unde in noua hi Nitrii apud Sozomenum lib. VI, c. 21: Si quis forte absit, eum abesse plane invitum constat, vel afflictatione aliqua vel morbo praepeditum, ad quem visendum curandumque non omnes statim eunt, sed variis temporibus singuli, quidquid habent ad morbum levandum accommodatum, secum deferunt.

<sup>c</sup> Matutinum officium. Isidorus VI, Orig., cap. 19: Matutinum officium est in lucis initio a stella Luciferi appellatum, quae oritur inchoante mane. Nec absimiliter Habanus Maurus, I Instit. cap. 11. Pro quibus stat vetustissimum Christianorum coetuum usus, ab ethnicis etiam observatus. Plinius, epist. 97, lib. X, ad Trajan. et ex eo Tertullian. cap. 2, Apolog.; Eusebius III, Eccl. hist. 33, et Nicephor. 3, cap. 17. Soliti stata die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem. Bene, sed etiam in media nocte fieri apud antiquos testes sunt Hilarius in Psal. XVIII; Bernardus, Serm. de duobus discip.; Chrysologus serm. 39; Ephraem de B. Abrahamo; Palladius de AJulio monacho cap. 30; Parad. Herac.

Basilii de Monachis tempore Chrysostomi viventibus, serm. 20; de aliis alii. Nam teste Hispano piissimo vate Prudentio:

Post solis ortum fulgidi  
Serum est cubile spernere,  
Ni parte noctis addita  
Tempus labori adjeceris.

Quam consuetudinem Patres Ecclesiae Emeritensis observasse hinc liquido constat.

<sup>d</sup> Deprecavi. Ut paulo ante sciscitavi; ita in M-s. omnibus, nec immutavi, cum ad eam scriptum normam animadverterim, quae in vetustis scriptoribus passim occurrit; Afranius,

D Experjurabant, execrabant se ac suos  
Titennius,

Laudo quod osculavi privignae caput.

Plautus,

Invoco vos lares Diales, ut me tuteis.

Et id genus sexcentis apud Festum, Nonnum, alios. Nisi hoc simplicius interpretemur, et scriptorem nostrum cum S. Prospero in reg. commun. epist. ad Mar. n. 15, aliisque ecclesiasticis scriptoribus sic loquentem audiamus: De accurratione dictionis elaborata non satago; nec mihi pudori est si disputatio mea, quae forte probatur in rebus aliquos inanum verborum sectatores horrore incomptae orationis offendat. Quia (teste Gregorio Magno, praefat. in lib. Moral.) indignum vehementer existimo, ut verba caelestis oraculi restringam sub regulis Donati. Id multum ex antiquis Patribus opinabatur. Suis cuique genius; sua cujusque avi ratio etiam est.

et conspiciebam; dumque præsentatus fuisset ejus A obtutibus, cœpi vehementer contremere; ille vero dixit mihi: Noli timere, fili, transi post scapulam meam, et hic sta; et adjecit: Noli timere; scito quia protector tuus ero, nunquam tibi aliquid deerit, ego te semper pascam, ego te semper vestiam, ego te omni tempore protegam, et nunquam derelinquam. Illico namque de eodem convivio escam poculumque, quale nunquam videram, mihi tribuere jussit, quod suscipiens omni cum jucunditate percepi; et vere fateor, manere ita ab illius gratia relictum, ut deinceps aliud nihil præter illum desiderem cibum. Igitur explicito convivio ait mihi: Ambulet ista multitudo aliam viam, tu mecum profecturus eris, ut tibi ostendam, a vivariolum meum, quem habeo: Rursumque convivio jam consummato processere B omnes, et adoravere eum; idem benedicens eos rex, permisit abire. Illis vero abeuntibus trahebant ad tribunal ejus nescio quos homines vociferantes, magnis qui ululatibus ejulabant; quorum dum voces audisset, ait: Trahite foras malos servos; non sunt digni videre faciem meam. Quod cum dixisset, tam celeriter nimirum abstracti sunt, ut eos plenius non potuissem videre, neque cognoscere. Rursus etiam sciscitans dixi: Quæso, fili, ut mihi dicas, si aliquem agnovisti ibidem de his qui mihi in hoc sæculo cogniti fuere, et jam de hac luce migravere? Ad hæc ille ait: Homines quos ibi vidi longe erant ab his omnibus quos videmus modo, nam alia forma et alio habitu decorati sunt omnes. Deinde subjungit: Postquam vero traxere illos homines foras, surrexit C ille cæteris pulchrior Dominus de sua sede, apprehendensque manum meam, eduxit me in hortum amœnissimum, ubi erat rivus, in quo erat aqua vitrei coloris, et secus rivum ipsum silva aromatum, et flores multi fragrantés, redolentesque diversis suavitatis odoribus; et sic juxta rivum ipsum venientes pervenimus usque ad locum quem nunc in strato jaceus video. Hæc mihi memoratus puer multis coram positus retulit. Quamobrem ego indignus, et omnium

\* *Vivariolum meum quem habeo.* Sic in Mss. Anne, *vivariolum meam, quod habeo?* Alterum grammaticè expolulent necesse est; alterum videntur verba, quæ paulo post adduntur, erigere, *apprehendensque manum meam eduxit me in hortum amœnissimum.*

† *Domino et abbati meo.* Anne hic qui initio dictus *præpositus cellæ?* Crediderim. De *Domini* voce vide quæ ad F. L. Dextrî epistolam ad Orosium notavi. Invenio nomen cujusdam abbatis hujusce monasterii in subscriptionibus concil. Tolet. xi, iis verbis: *Florentinus ecclesiæ monasterii S. Eulaliæ abbas, hæc gesta synodica a nobis definita consentiens subscripsi.* Nam nusquam apud Hispanos monasterium aliud hisce temporibus S. Eulaliæ, præter illud Emeritense reperio.

‡ *Cœpit animus ejus flagrare desiderio percipiendæ pœnitentiæ,* etc. Sic de morientibus loqui amant antiqui Patres; concil. Carthaginense iv, c. 76: *Accipiat pœnitentiam, et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur ori ejus Eucharistia.* Araisicanum i, cap. 3: *Qui recedunt de corpore, pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione eis communicare,* etc. Tolitanum xi, cap. 12: *Si præceptum mortis urget periculum pœnitentia per manus impositionem accepta; et statim, De iis autem, qui accepta pœnitentia, ab hac*

peccatorum primus, Levita Christi, quemadmodum narravit, scribere malui, verbis licet aliis, sensibus tamen ipsis. Post hæc vero cuncta quæ audieram, sanctissimo viro Domino, et b abbati meo nuntiare procuravi; quibus ille agnitis (ut ei semper moris est visceribus pietate repletis) quantocius ad eundem Augustum properavit, atque inhianter, quæ dudum narraverat, ejus ex ore cupiens audire, quidnam vidisset, sciscitatus est. Atque ideam Augustus, quæ prius dixerat nihilominus repetens, ejus sanctis auribus intimavit. Demum almo ac beatissimo viro cuidam Levitæ, universisque fratribus se percontantibus, quæ paulo ante dixerat, repetebat: nam mox c cœpit animus ejus flagrare desiderio percipiendæ pœnitentiæ: qua confestim accepta, dum ego abissem, atque ad basilicam S. Mariæ semper virginis (quæ quinque millibus ab urbe Emeritensi distat) gratia orationis properassem, quam etiam basilicam vulgus S. Quintilianam hactenus vocitat, inde regressus jam vesperscente die, eum defunctum reperi; et quoniam jam vespere erat, minime ea die sepultus est. Sequenti vero nocte, dum ipsum corpusculum inhumatum in d cellula, qua defunctus fuerat, jaceret intempesta nocte idem Augustus alium puerulum æquævum suum nomine Quintiliarem a foris præmagna voce vocavit. Cujus voce audita et cognita, quidam puer simplex et verax nomine Veranianus illico surrexit, egressusque foras ipsum Augustum in alba stantem videre meruit; sed pavore perterritus, propius ad illum accedere non præsumpsit: cujus faciem niveo candore se vidisse cum juramento testatus est; alio vero die corpusculum ejus ex more in basilica sanctissimæ virginis dominæ meæ Eulaliæ sepulturæ est mancipatum.

## CAPUT II.

*Monachus Caulinianensis apud Emeritam monasterii morti vicinus, ex ebrio et fure ad Dominum conversus.*

Fuerunt plerique idonei viri ante non satis plurimos annos clementia divina in e provincia Lusitanicæ, qui clementer ferunt gestum Salvatoris nostri *miravita recesserint.* Sed hanc vocem non tam quod in Cicerone non inveniant, quam quod ecclesiasticis institutionibus aptissima sit, a Christianis moribus eliminare contendunt grammaticotheologi Valla ad c. vii poster. ad Corinth. et Erasmi. ad cap. iii, Matth. alique ejusdem (quod aiunt) officinæ sive figlinæ. Verum pro ea lege illa religionis et theologiæ vera lumina R. Bellarminum lib. i, de Pœn., cap. 7; A. Salmeronem tract. 4, tom. iv et M. Sandæum comm. x, Gramm. profan.

d *In cellula.* Quæ clericorum. Codinus in orig. Constant. τὰ δὲ περί τὴν κελλίαν ἦσαν τῶν κληρικῶν, uti et monachorum, Theodorus Anagnosta Eclog. i: Νυκτὸς ἐν τοῖς τῶν μοναχῶν κελλίαις περιερχόμενος ἐξ ὀνόματος ἐκάλεσε ἕκαστον. Sed horum propria; unde nomen sortitus locus ille fuit, qui *Cellia* appellatus est apud Sozomenum lib. vi, cap. 31. Ἐτερός ἐστὶ τόπος καὶ σχεδὸν ἑβδομήκοντα σταδία διαστάς, ὄνομα κελλία· ἐν τούτῳ δὲ σποράδην ἐστὶ μοναχικὰ οἰκῆματα πολλὰ, καθὲ καὶ τοιαύτης ἔλαχε προσσηγορίας, ibi est alius locus distans (nempe a Nitria) stadia fere septuaginta; cui nomen Cellia: in eo sunt cellæ monachorum permultæ sparsim positæ; qua de causa nomen habuit.

e *In provincia Lusitanicæ.* Ita olim erat Emerita

Lusitanorum caput oppidorum Urbis.

culum. Itum in monasterio, cui <sup>a</sup> Cauliana vocabulum est, quod Emerita urbe haud procul situm ferme millibus octo distat, reverendissimus vir piæ memoriæ <sup>b</sup> Renovatus abbas præset, post quæ etiam Emeritensi urbi pontifex extitit mirificus, atque sagaci sollicitudine utpote vir perspicax, et nimium acris ingenii, multumque in omni disciplina ac timore Domini strenuissimus, cunctos illic commorantes monachos sedulo per bonam conversationem et sancti operis exempla ad supernam patriam provocaret, cunctusque grex pastorem præeuntem arcis semitis callibusque prosequerentur cœcicis; lupus vorax unam ei toto adnixu conatus est ore mordaci lauiare oviculam; ita duntaxat ut omni cœtu sanctæ congregationis in Domini laudibus persistente, atque regulari tranite in timore Domini degente, quidam monachus ab eorum discrepans sanctissimis moribus gastrimargiæ et ebrietati inæstimabiliter incumbens, se semetipsum contra dedit: deinde ad majorem declinans intentum, furari quæque potuisset reperire cœpit; quem dum prædictus vir sæpius blande moneret, nec facile coercere valeret, iterum iterumque verborum oburgare increpationibus studuit: sed cum nec sic ab illecebrosa edacitatis deflectione, atque furti rapacitatisque intentione cassavit; hunc flagris verberare, parcimoniis afficere, ergastulisque tradi præcepit; sed ille nihilominus pri-tinis perdurans piaculis, non solum quid a flagitiis minime cessabat, sed diebus quotidianis semetipsum pollicens

A antris Averni tartareis mancipare, magis magisque festinabat. Cumque eum videret tantopere pessimæ intentionis pergere viam, ut nec tot viribus increpatus, nec toties verberatus emendari voluisset, tactus dolore cordis intrinsecus, dimisit eum abire secundum desideria cordis ejus (*Jud. xvi*), ac præcepit his qui præerant proniptuariis monasterii, ut quæcunque hora vellet ingredi, quæcunque in cellariis optima, quæcunque dulcia reperiret, eum usque ad vomitum nullus edere aut bibere prohiberet, etiamsi aliquid asportare, et abscindere ex more vellet, liberam potestatem haberet, ut plenius dignoscere postquam gulæ aut ventri satisfecisset, quidnam postmodum esset acturus. Ille vero juxta præceptum claustra reserata aperiens, opulentissimi (ut fertur) monasterii cellaria clam opima penetra-vit, custodibus tamen eminus circumquaque obstitit, callida dissimulatione cernentibus, ignorante illo, ac præstolantibus quidnam ageret: quæque dulcia et suavia esu potuque reperisset, eo usque passim vorabat bibebatque, quousque mente perdita vix ambulare valebat; posthæc fercula diversa furtim sibi-bripiens etiam vascula vinaria, quæ usitato nomine <sup>c</sup> guillonnes, aut <sup>d</sup> flascones appellant, auferebat, et in horto contiguo monasterii inter arbustâ sroudosa, aut arundineta condensa in loco abditissimo occultabat. Tum deinde cibo jam nimio crapulatus, temulantiaque poculorum satiat, sibi met ad cubitum sternebat, et apponens quæ furaverat,

Prudentio Hymn. in laud. MM. Cæ-araug., et Plinio III, c. 1, signate Emerita Lusitaniæ lib. IX, cap. 41, uti Melæ in Lusitania Emerita, cap. 6, lib. III. <sup>a</sup> In monasterio, cui Cauliana vocabulum est. In aliquot exemplaribus Colona dicitur, sed corrupte, nam in Gothicis Cauliniana distincte legitur; sic in iis quæ vidit Morales, et in Alcoracensi ante quingentos annos scripto, quo usus est Britus. Antiquitatem hujus monasterii non solum ex epistola Terræ monachi ad Reccaredum regem, quæ nondum edita in bibliothecis Hispaniæ hactenus delitescit, de qua Moral. lib. XII, cap. 22, et Padilla, cont. VII, cap. 17, elicies, sed ex testamento D. Fux Roupini strenui antiquique Lusitanorum ducis in Alcobacensi archivo a B. Britto reperto, publicatoque cap. 4, lib. VII, Monarch. Lusit., ejus verba, quia singularem historiæ nostræ partem continent, libens transcribo. Postquam inventam a se imaginem quamdam Virginis Deiparæ retulisset, subdit: *Nos vero non sci-bamus unde esset, et unde venisset ista imago; sed ecce cum destruebatur altare per albanires (sic Hispani vocant ædium extractores) inventa est arcula de ebore antiquo, et in illa uno involterio (etiam Hispani pro involucro hanc vocem usurpant) in quo erant ossa aliquorum sanctorum, et chartula cum hac inscriptione: Hic sunt reliquiæ SS., etc., quas detulit e monasterio Cauliniana. Romanus monachus simul cum venerabili imagine Virginis Mariæ de Nazareth, quæ olim in Nazareth civitate Galiliæ multis miraculis claruerat, et inde asportata per Græcum monachum nomine Cyriacum, Gothorum regum tempore in prædicto monasterio per multum temporis manserat, quousque Hispania a Mauris debellata, et rex Rodericus superatus in prælio, solus, lacrymabilis, abjectus, et pene deficiens pervenit ad præfatum monasterium Cauliniana, ibique a prædicto Romano penitentia et eucharistiæ sacramentis susceptis, pariter cum illo, cum imagine et reliquiis ad Seanum montem pervenit x Kal. Decembr., in quo rex s. lus per annum integrum mansit*

C in ecclesia ibi inventa cum Christi crucifixi imagine et ignoto sepulcro: Romanus vero cum hac sacra Virginis effigie inter duo ista saxa usque ad extremum visus permansit, et ne futuris temporibus aliquos ignorantia teneat, hæc cum reliquiis sacris in hac extrema orbis parte recondimus. Deus ista omnia a Maurorum manibus servet. Amen, etc. De hoc monasterio plura qui vult, adeat Moral. et Padill. locis jam laudatis, Britum ibid. et cap. 21, lib. VI; Ludov. de Angelis lib. IV, de Laud. D. August., cap. 20; Joan. Marquez cap. 12, de Orig. Erem. S. August., § 8.

<sup>b</sup> Renovatus abbas... post est etiam Emeritensis urbis Pontifex. De quo plura in Not. ad cap. 21.

<sup>c</sup> Usitato nomine guillonnes. Glossæ Isidori, *Cello, Baucalis*; Latino-Græcæ: *Gillo, βαυκαλιον*; vox Cassiano Inst. IV, cap. 16, Ruffino III, num. 14, aliis scriptoribus nota; de qua nos plura post. eruditiss. Her. Rosweydtum Onom. ad VII, PP. et P. Scriverium, ad ep. 85, lib. II, Martial. Schidiasm. ultimo decadis 6 Horarum Subsecivarum, ubi quid *guillonarius* in legg. Wisogothor. sit explic. ex ea Hispan s *cangilon* attribuit P. Ciaconius, civis meus ad miraculum doctus, Not. in Cassian. et Rosweydt. melius quam a *congio*, ut gentilis meus D. Sebastian. de Covarruvias voluit, Thes. L. C. hac ipsa voce.

<sup>d</sup> Aut flascones. Vox Hispanis, Italiis, et Gallis exigua litterulæ mutatione communis, *frasco, fiasco, flacon*, etiam aliis. D. Gregorius II Dial., cap. 18: *Vino plena duo linea vascula, quæ vulgo flascones vocant. ne de flascone, quem abscondisti, bibas... cum flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est.* Flodoardus lib. I hist. Eccl. Roin., cap. 15: *Vas, quod vulgo flasconem vocant, vini a se benedicti plenum dedit.* Hesychius: *φλάσκων δι ειδος ποταπιου*; sic medii ævi scriptores, Thwroc in Chron. Hung., c. 78; And. presbyter in Chron. Bavar.; Florentius Wigorniens. in Chron. Hinc Papius in Gloss. *Flasciæ Græcæ pro recondendis fatis primum factæ sunt, unde et dicuntur.*

quamvis jam non delectaretur, et nimium onusto ventre ructaret, tamen adhuc edere et bibere cupiebat; sed dum gravato perquam alvo langueret [*Annelingeret?*] potius quam manducaret, illico occurrente somnio obdormiebat; tum deinde venientes canes quæque portaverat comedebant: custodes itaque e regione intuentes vascula quæ detulerat, dormiente illo ad cellaria revocabant; dumque hæc multa per temporum spatia peragerentur, et nullus eum aliquando jam emendari crederet, hoc exemplo Pastor et Salvator bonus (*Joan. x, 11*) de ore leonis eum abstraxit. Accidit namque, ut die quædam, more solito, primo diluculo de cellario temulentus exiret; quem ut viderunt ebrum pueri parvuli (qui sub pædagogorum disciplina in scholis litteris studebant) hæc protinus voce exclamaverunt: Considera judicium terribile Domini; considera tremendi examinis metuendam sententiam; considera formidandam atque horrendam ejus judicii ulticem severitatem; considera etiam annos ætatis tuæ, et sic tandem mores commuta in melius, et vel uno die ante mortem tuam corrige vitam tuam, quia nobis infantibus quæ tu agis non licet agere, quanto magis tibi qui jam ætate plenus esse cerneris. Cumque hoc audiret, pudore nimio coopertus erubuit, statimque compunctus est, et ejulatu magno flens cum lacrymis elevans oculos suos ad cælum dixit: Domine Jesu Christe, salvator animarum, qui non vis mortem peccatoris, sed ut revertatur ab iniquitate et vivat (*Ezech. xviii, 24; xxxiii, 11*), te precor, ut corrigas me, et auferas istud ignominiosum opprobrium de facie mea; aut certe, si tibi placet, jam tolle me de hac miserabili vita, ut amplius improprium faciei meæ non audiam. Quem statim divina pietas exaudire non distulit; sed de præsentis in eodem loco dolore percussus, vi febrim æstuarum fecit. Nimirum dexteræ Excelsi immutatio (*Psal. lxxvi, 11*) in tantum eum commutavit in melius, ut abhorrens omnes carnales delicias, flagranti animo pœnitentiæ remedium mox appeteret, corpori videlicet cruo-

<sup>a</sup> *Memorabilis annis Ana.* Ex Prudentio Hymn. in in S. Eulal. de Emerita:

Nunc locus Emerita est tumulo  
Clara colonis Vettoniæ  
Quam memorabilis annis Ana  
Præterit: et viridante capax  
Gurgite mœnia pulchra lavat.

Hodie retento antiquo nomine adjectione vocis Arabicæ *Guid* aut *Guada*, quæ aqua sive fluvius Arabibus est, *Guadiana* dicitur, et vel alter Græcorum *Alphæus*, sæpius nasci gaudens novo non semel miraculo conspicitur. De eo plura Rui-Gonzales de Clavijo in itinerario legationis ad Tangerlanem tempore Henrici III Castellæ regis; Hieron. Paulus de Flum.; Pet. Medina cap. 53, lib. II rer. Hisp.; Marian. I, c. 3; Garivai. IV, cap. 19; alii.

<sup>b</sup> *Temporibus Leovigildi.* Qui incœpit regnare etiam vivente Livva fratre anno 568, et desiit vivere anno 586, juxta certiore Isidori et Wulsæ computandi rationem. Sunt qui appellant *Leovegildum*, sunt qui *Liwigildum*; nos numismatum inscriptiones secuti sumus.

<sup>c</sup> *Ab Africanis regionibus in provinciam Lusitanam.* Non sine exemplo. Paulinum vitæ austerioris deside-

risque Dominici sacramentum desideraret: sed dum antefatus almus Pater putaret eum phrenetica aut improba mente id flagitare, pœnitentiæ plenariam dare distulit, sed tantumdem ei viaticam gratiam impertivit, ac tribus diebus totidemque noctibus lacrymis et confessione mirifica satisfacit. Tertio post hæc die demigratus e corpore, et valescens cunctis fratribus, sic ait. Cognoscite quod omnia delicta mihi dimissa sunt, et ecce præ foribus sanctissimi apostoli Petrus et Paulus, necnon et beatissimus Laurentius archidiaconus et martyr cum innumerabili turba candidatorum me exspectant, cum quibus ad Dominum pergere debeam, et hæc dicens migravit e corpore. Post quindecim vero aut eo amplius annos <sup>a</sup> memorabilis annis Anas nimium excrescens ripasque alvei sui supergradens, fluentia liquoris late aspersit, et ruinas ædium per villulas vicinas littori suo multas fecit; similiter et Caulinianensis monasterii cellas evertit; quas dum monachi restaurare voluissent, contigit, ut dum fundamenta construunt, in cellula qua supra dictus jacebat ipsum sepulcrum aperirent; sed mox inde nectareus odor erupit, ipse vero integer et incorruptus repertus est, ac si hora eadem fuisset humatus, ut nec vestimenta ejus, nec capilli ex aliqua parte cernerentur fuisse corrupti.

### CAPUT III.

*Nunctus abbas Africanus Emeritam ventens a sceleratis est occisus; qui mox a dæmone sunt correpti.*

<sup>C</sup> Dum novella narrare studemus, prisca majorum gesta omiseramus. Narrant itaque plurimi ante multa jam curricula annorum <sup>b</sup> temporibus Leovigildi Wisogothorum regis ab <sup>a</sup> Africanis regionibus in provinciam Lusitaniam <sup>d</sup> Nunctum nostrum advenisse abbatem, qui cum aliquandis ibidem degisset, devotionis gratia ad basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ (in qua ejus sacratissimum corpusculum requiescit) desideranter accessit: sed, ut fertur, per omnia aspectum mulierum, velut vipereum vitabat

rio ex Africa in Hispaniam trajecisse testantur Baron. ad ann. xcv; Romanus in Chron. Ord. S. Aug. lib. III; Ludov. de Angel., IV de Vit. S. Aug. 20; Marq. c. 10 orig. Erem. S. Aug., § 5, et Emeritæ, quæ Lusitaniam caput, etiam vixisse præter cæteros non obscure prodidit Ausonius epist. 24 ad eund.

<sup>D</sup> Paulinum Ausoniumque viros quos sacra Quirini Purpura, et auratus trabæ velavit amictus Non decet insidiis peregrinæ cedere divæ. Quid queror; Eoque insector crimina moustri? Occidit me ripa Tagi, me Punica lædit Barcino, me hincis juga ningnita Pyrenæi. Mœnibus e patriis forsitan quoque vestis et oris Quemque suo longo dirimit provincia tractu Trans montes, solemque alium, trans flumina et urbes. Et quod terrarum cœlique extenditur inter Emeritamque amnes, lateque fluentia Garunniæ.

<sup>d</sup> *Nunctum abbatem.* De quo plura Baron. ad ann. 589; Moral. lib. II, cap. 62; Padilla cent. 6, c. 50; Lud. de Angel. IV de Vit. S. Aug. 20; Roman. II Histor. Eccles. 27; Lancillottus II de Vit. S. August. 18, Marq. cap. 12 Orig. Erem. S. Aug., § 8; sed omnes ex nno Paulo Emeritensi, cujus verba, ut de rebus a Nuncto præclare gestis agant, transcribunt.

inorsum, non quia aspernabatur sexum, sed ex contemplata specie tentationis metuebat incurrere vitium; ita etenim ut quocunque loco pergebat, unum monachum ante se, et alterum post se eminens gradi præcipiebat, ne eum per quamcunque occasionem mulier videret. Qui, ut supra diximus, cum ad basilicam sanctæ Eulaliæ virginis et martyris venisset, reverendissimum virum Redemptum diaconum, qui ibi præerat, multis precibus exoravit, ut quando ad orationem nocturno tempore in ecclesiam de cella procederet, ita custodias poneret, ut eum nulla penitus femina videret; sed dum aliquot dies in eadem sancta ecclesia moras fecisset, quædam nobilissima et sanctissima vidua, nomine Eusebia, omni desiderio eum videre cupiebat, sed ille nullatenus se ab ea videri patiebatur; dum vero sæpius eum diversi rogarant, ut eam videre dignaretur, et ille nullo modo consentiret; at illa coassumpto consilio supradictum Redemptum diaconum deprecabatur, ut explicitis matutinis laudibus, dum ille de ecclesia ad cellulam reverteretur, illa stante in abditissimo loco, circa eundem sanctissimum virum lumen cereorum clarissimum fieri præciperet, ut saltem a longe eum videre mereretur; quod factum. At ubi ignorante illo femineus contigit aspectus, ita cum gemitu magno sese in terram prostravit, ac si magni lapidis ictu graviter fuisset percussus, mox ipsi Redempto diacono dicere cœpit: Indulgeat tibi Dominus, frater; quid est quod fecisti? Post hæc denique statim egressus inde, ad eremi loca paucis cum fratribus pervenit, ibique sibi vilissimum construxit habitaculum: sed cum crebris illie virtutibus coruscaret, recurrente opinione ad auditum Leovigildi principis pervenit, a qui quamlibet esset Arianus, tamen ut se ejus precibus Domino commendaret, eidem viro auctoritate conscripta, de quodam præcipuo loco fisci direxit, ut alimenta aut indumenta exinde cum suis fratribus haberet, quod vir Dei omnino accipere recusavit; sed dum ille renueret, et is, qui a rege directus ad eum venerat, diceret: Oblationem filii tui despiciere non debes, tandem ipso compellente, suscepit. Post aliquot vero dies homines habitantes in eodem loco cœperunt ad invicem dicere: Eamus, et videamus, qualis iste est Dominus noster, cui dati

<sup>a</sup> Qui quamlibet esset Arianus. Ex hac Leovigildi in S. Nuncium pietate futuram ipsius poenitentiam arguetur Joan. Marquez, c. 12, § 8. Sed de illa nos uberius egimus Notis ad M. Maximi Cæsaraugustani Chronicon.

<sup>b</sup> Fractis cervicibus crudeliter necaverunt. Lud. de Angl. iv de Vit. S. Aug. 20: Nuncium martyrem sanctissimum, professione monachum; et Lancilottus lib. II, c. 18, inuictum martyrem vocat: nec virum cum pro justitia, quæ Augustino supra Psalm. XIV et Thome 2. 2, q. 124, art. 5 ad 1, efficax martyrii causa est, occisus a sceleratis fuerit. Exemplis confirmat Marq. cap. 12, § 8.

<sup>c</sup> Phaleratas verborum pompas. Sic Ambros. advers. relat. Symmachi, lib. post., phaleros sermones appellat; et lib. II in Luc. II: Nam si orator illorum qui phaleras sermonum sequuntur, negat in hoc fortunatus positus esse Græciæ, hoc an illo verbo usus sis, c. S. Prosper lib. de Vit. Contemp., cap. 34: Prudentibus viris non placent phalerata, sed fortia, quando

sumus: cumque vissent et vidissent eum veste sordidum, habituque deformem, contemnentes eum dixerunt mutuo: Melius est nobis mori, quam tali domino servire. Ac deinde post aliquot dies, cum vir Dei sanctus in silvas paucis ovibus depascendis pervenisset, reperientes eum solum<sup>b</sup> fractis cervicibus crudeliter necaverunt: post non vero longum temporis intervallum ipsi homicidæ comprehensi, et Leovigildo regi sunt præsentati cum vinculis, cui dictum est ipsos esse qui servum Dei interemissent; ille autem quamvis non rectæ fidei esset, recte tamen promulgavit sententiam dicens: Absolvite eos a vinculis, et sinite abire; et si vere servum Dei occiderunt, sine nostra ultione ulciscatur Dominus mortem servi sui: at ubi dictum est istud, et illi absoluti sunt, statim eos demones corripuerunt, et per plures dies affixerunt, quousque crudeli morte animas e corporibus excusserunt.

#### CAPUT IV.

*Paulus medicus natione Græcus fit episcopus Emeritensis: mulierem ex partu laborantem sanat.*

Omittentes<sup>c</sup> phaleras verborum pompas, et prætermittentes<sup>d</sup> garrulas facundiæ spumas, nunc etiam ea, quæ omnibus modis vera sunt, simpliciter veraciterque narramus; nam si ea quæ luce clariora esse noscuntur obscuris sermonibus involvere voluerimus, audientium animos non instruimus, sed fatigamus, quia, cum multorum imperitorum minus intelligit sensus, fatigatur auditus; et ideo, sicut superius<sup>e</sup> polliciti sumus, simpliciter sanctorum Patrum olim gesta miracula, sicuti relatu multorum ad nos perlata sunt, intimamus. Referunt multi sanctum virum<sup>f</sup> nomine Paulum, natione Græcum, et arte medicum, de Orientis partibus in Emeritensem urbem devenisse, qui cum ibi multo tempore degeret, sanctitate et virtutibus multis polleret, et humilitate atque benignitate cunctos superaret, a Domino collatum est, ut prædictæ civitatis mereretur pontificatum. At ubi eligente Domino ordinatus est episcopus, omnes statim Deus conturbationum procellas quæ eandem Ecclesiam tempore prædecessoris ejus conturbaverant, abstulit, et nimiam tranquillitatem ejus precibus condonavit. Qui dum pacifice ac benigne, favente Deo, cunctis civibus suis

non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta. Et Cerippus Africanus IV de laud. Just.

Phaleras phaleris et laudibus addere laudes dixit eodem schemate.

<sup>d</sup> Garrulas facundiæ spumas. Nempe cava verba, et in more vesicarum tumentia apud Hieronym. epist. 100; et bullatas nugas Persio sat. 5; ventosam loquacitatem Petronio initio sat.; ampullas et sesquipedalia verba Horat. ad Pison. et id genus sexcenta apud Auctores, de quibus videbis eruditius Lud. Cressolli lib. III Theat. vet. Rhet., cap. 25.

<sup>e</sup> Superius polliciti sumus. Præfatione ipsa Operis.

<sup>f</sup> Sanctum virum nomine Paulum. De quo scriptores nostri Moral. lib. II, cap. 71, et Padilla Cent. VI, c. 50, non sine scriptoris nostri commendatione.

<sup>g</sup> Arte medicum. Augeat Paulus noster aliorum sanctitate præstantiss. medicorum numerum, quem pia Joan. Molani sollicitas eleganter concinnavit Diario ecclesiastico Medicor.

præset, et cunctorum effectibus dulcissimum sacri A pectoris sui exhiberet affectum, contigit cujusdam primarii civitatis ex genere senatorum nobilissimi viri ægrotasse matronam, quæ et ipsa illustri stemmate progenita nobilem traherat prosapiam; quæ cum nuper nupta in utero accepisset, ipse infantulus in ventre collisus est, cui cum multi medici diversa adhiberent, et nullum remedium medelæ sentiret, sed in gravi discrimine posita quotidie morti propinquaret; supradictus illustris ejus vir, eo quod illi nihil charius esset conjuge, quam noviter conjugii gratia sortitus esset, contemptis universis medicis spe recuperandæ salutis ad eundem sanctissimum virum cœcurrit, et provolutus pedibus ejus cum lacrymis exoravit, ut quia Dei servus erat, orationibus suis Dominum pro ejus matronæ salute precaretur, aut certe quia medicus esset, non duceat indignum manu sua ægroto gratiam præbere medendi; sed vir Dei protinus respondit, dicens: Mihi quod hortaris facere non licet, qui, etsi sacerdos indignus Domini sum, et sacrificium manibus meis offero Domino, et ideo quod dicis, non possum implere; ne postmodum pollutas sacris altaribus manus inferam, et divinæ potestatis mox furorera incurram. Et adjecit: Ibi- B mus, inquit, in nomine Domini, visitabimus eam, et dabimus medicos Ecclesiæ, qui illi adhibeant medicinam, et in quantum scimus, ostendemus qualiter cura faciat; nos tamen facere manu propria minime possumus: ille vero sciens quia nullius alterius medici cura valeret, et quia jam æxor sua pene mortua esset, cœpit cum fletu magno C enixe flagitare, ut nullum illuc dirigeret, sed ipse per se iret, et quod sciebat, manu propria impenderet: sed dum ille non annueret, neque penitus consentiret, universi fratres coram positi, et ipsi eum eam lacrymis rogaverunt, ut iret; at ille ait: Novi quod multæ miserationis sit Dominus (Psal. I, 5), et credo, dum fuero, quod infirma pristinam recuperet salutem, et mihi statim concedet veniam propter meam præsumptionem: sed homines malos hanc mihi causam objicere in postmodum omnino non dubito; cui cum omnes fratres sui responderent: Nullus e nobis propterea aliquid dicturus est, sed perge, domine, et omni celeritate \* age illud, quod mercedi tuæ proficiet. Tandem eorum precibus compulsus proficisci pollicitus est, ita duntaxat, ut prius D Domini exquireret voluntatem, ne temere incedens facile ageret, pro quo difficile, mulctatus Dei judicio, ad veniam rediret; illico namque basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ petiit, ibique prostratus pavi-

\* Age illud, quod mercedi tuæ proficiet. Hispanismus purus putus mercedi tuæ est. Vulgaris serè omnes compellendi increhuit consuetudo apud Hispanos notissima, *vuestra merced*; qua urbanitate nimium blandienti enate sunt cæteræ compellationes, quæ vulgo notæ. Remanent apud Paulum nostrum Hispanismi vestigia non semel; uti apud cæteros Scriptores Hispaniæ observatum a viris doctis est. Orientius Illyberritanus in Commonit.

Hinc cohibet totum pacis concordia mundum,  
Quæ brutis etiam cum ratione datur.

mento per totum diem incubuit, atque in oratione indefessus perseverans, sequentem continuavit et noctem; qui mox inibi oraculo divino commonitus est, statimque consurgens ad mulieris ægræ domum incunctanter perrexit, et festinus properavit, orationem fudit, manus in nomine Domini super infirmam imposuit: in spe Dei mira subtilitate incisionem subtilissimam subtili cum ferramento fecit, atque ipsum infantulum jam putridum membratim, compendiatim abstraxit, mulierem pene mortuam, ac semivivam, adnitente Deo, viro suo confestim incolumem reddidit, cui et præcepit ut ultra virum non cognosceret, quocunque enim tempore coitum virilem agnovisset, mox ei deteriora adfutura essent discrimina: sed illi nihilominus pedibus ejus provoluti gratias retulerunt, et omnia quæ vir Dei præceperat in omnibus se esse servaturos promiserunt, imprecantes Dominum, ut si non custodirent, pejora illis postmodum advenirent. Facta namque est eo modo illa inestimabilis lætitia, immensumque gaudium, atque universi in Dei laudibus acclamantes, orantes tripudiantisque dicebant: Quod vere misisset Dominus angelum suum, qui illis miseratus fuisset. Tum deinde fecerunt de rebus suis talem conscriptionem, ut de præsentibus sanctus vir medietatem ex omnibus quæ habebant acciperet, alia vero medietas post eorum obitum integra et intemerata ad ejus pertineret ditionem. Tanta namque illis inerat copia rerum, ut nullus senatorum in provincia Lusitanæ illis reperiretur locupletior: quod ille prorsus recusavit, ac renuit, noluitque accipere: sed illis obsecrantibus nimiumque importune offerentibus, et sic tandem coactus est suscipere; quod accipiens non tam propriis usibus quantum egentium præcepit deservire necessitatibus. Illi autem a quibus ei oblatum est, perseverantes cum timore Dei in castitate: post non multo temporis intervallo ad supernam patriam vocatione divina adsciti sunt. Quibus defunctis omne eorum patrimonium sanctissimus Paulus episcopus promeruit, et qui peregrinus nihil habens advenerat, factus est cunctis potentibus potentior in tantum, ut omnis facultas Ecclesiæ ad comparationem honorum illius pro nihilo putaretur.

#### CAPUT V.

*Fidelis natione Græcus, filius sororis Pauli episcopi Emeritensis, vivente avunculo subrogatur in episcopatu.*

Denique cum plurimos per annos felici tempore sua cum plebe fruere et jucunde Deo vivens, plenus semper virtutibus floreret, accidit die quadam,

Ubi in Mss. *cō rone*, quod Hispani dicunt *con mucha racon*, hoc est merito, juste, non sine causa, notanda est. M. A. Del-Rio. Eulogius Cordubensis non absimiliter lib. I Mem. SS.: *Sed in veritate crimen esse fatendum est, latitare*. Frequenter enim quippiam asseverantes incipimus *en verdad*, observante Moral. Not. ad Eulog. num. 20 et lib. II, cap. 1: *Nec non ex parte linguæ Arabicæ comitatus*, ubi Hispanismus etiam agnoscit: nam frequenter loquimur *por parte de su virtud era mui buen querido*, et id genus pleraque.



de regione, qua ipse oriundus exstiterat negotiatores Græcos in navibus de Orientibus advenisse, atque Hispaniæ littora contigisse; cumque in Emeritensem civitatem pervenissent, ex more episcopo præbuerunt occursum; qui cum ab eo benigne fuissent recepti, ac de atrio ejus egredientes in domo in qua hospitabantur fuissent regressi; sequente die ad eum munusculum miserunt pro gratiarum actione, deferente puero, nomine Fideli, qui cum eis causa mercedis recipiendæ de regione eorum conductus advenerat: cumque ejus fuisset præsentatus aspectibus, et quæ grato animo directa detulerat vir sanctus gratanter suscepisset, eum cœpit sigillatim sciscitari quo vocaretur nomine, de qua provinciâ, vel de qua civitate esset; cum ergo illi nomen suum et civitatem suam nominaret, videns adolescentem bonæ indolis, cuncta eum per ordinem interrogavit, et nomina parentum requisivit; at ille consequenter secundum interrogationem, patriam, civitatem, vicum, nomina parentum simpliciter manifestavit; hæc eo dicente cognovit nomen sororis suæ, qui statim exsiliens de sede sua in conspectu omnium amplexibus ejus incubuit, commota quippe fuerant super illum viscera ejus, atque irruens super collum ejus, et diutissime exosculans, præ gaudio ubertim flevit, statim supranominatos negotiatores accersiri præcepit, quibus ait: Puerum mihi istum concedite, et quidquid vultis a me postulate. At illi responderunt: Hoc facere nequaquam possumus, quia ingenuus homo est, et a parentibus pro nostro solatio conductum accepimus, sine isto ad parentes suos nullatenus remeare possumus, nec faciem eorum ultra videndi habebimus licentiam, si hunc in tam longinquam provinciam dimiserimus. E contra ille ait: Compertum vobis sit quia, si istum mihi non dimittitis, vos in patriam vestram minime revertetis, sed accipite a me pecuniam copiosam, et abite secure pergentes cum pace. Hæc illi audientes, nec amplius t. n. t. potestati obsistere valentes, aiunt ad eum: Dic nobis, domine, quid causæ est, ut hominem tibi incognitum tanto amore diligere digneris? Ille vero, proximum suum esse, sibi que affinitate valde vicinum; et addit: Abite in nomine Domini absque aliqua hæsitatione, renuntiantes sorori meæ, quia filium ejus ob consolationem captivitatis meæ penes me retinui; qui diversa per eos mittens munera sorori, ipsisque nautis multa largitus est dona, ac sic ditati ejus muneribus, ingressi sunt in patriam suam cum gaudio magno. Quibus redeuntibus statim præfatum adolescentem a tondere præcepit, ac Deo omnipotenti servituum obtulit, et veluti alterum Samuelem in templo Domini diebus ac noc-

<sup>a</sup> Adolescentem tondere præcepit, ac Deo omnipotenti servituum obtulit. Bene, nam teste D. Hieron. (ut habetur 12, q. 4, c. duo sunt), rasio capitis est temerarium omnium depositio, nimirum ut Deo, qui tonsus sit, hoc est clericus, deserviat. Tonsura ortum habuit a Nazareth, a quibus apostoli in Ecclesiam eam introduxerunt, auctore Isidoro in de Eccles. off. , cap. 4.

<sup>b</sup> Casulam. Eadem vox in interprete veteri Philolæi episcopi CP. Comm. de sac. Off. tom. IV Bibl.

libus strenue erudit, ita ut infra paucorum curricula annorum omne officium ecclesiasticum, omnemque bibliothecam Scripturarum divinarum perfectissime docuerit; deinde vero per singulos gradus eum perducens, diaconum ordinavit; qui mox effectus habitaculum Spiritus sancti, omnibus virtutibus ita est irradiatus, ut sanctitate, charitate, patientia, et humilitate universum transcenderet clerum, sic nimirum Deo et hominibus securum, affabilemque præbuit, ut unum illum putarent homines ex numero angelorum. Interea dum plurimis annis Deo irreprehensibiliter deserviret, et supra nominato nutritori suo dulci obsequio in omnibus obediret, ac senectutem ejus absque aliqua offensione suaviter oblectaret: idem supra nominatus beatissimus Pater, exactis jam multis curriculum annorum, atque ætate decrepita in senium vergens hunc sibi successorem elegit, moxque etiam in loco suo se vivente ordinavit, et omnium bonorum suorum hæredem instituit; ita etiam testamentaria sanctione decernens, etsi eum clericus Emeritensis habere vellet pontificem, omnes res quas illi contulerat post obitum suum supradictæ ecclesiæ derelinqueret; sin alias, haberet liberum arbitrium quidquid voluerit de præfatis rebus discere, vel judicare: hoc sane decretum vir sanctus, revelante sibi Spiritu sancto promulgavit, prophetiæ gratia præcius non defuturas eidem viro multorum obsistere invidias hominum improborum, qui cum canino more circumquaque in postmodum oblatrant, atque invidiam faucibus [Al., facibus] successum mordaciter laniant. Interim dum, auspice Domino, constitueret eum antistitem, ita ei astare et deservire cupiebat sicut diaconatus tempore ministrare consueverat, ita ut exuens sibi casulam, more ministri, coram eo assistens, servitium omne persolveret; quem ille id agere prohibuit; et ut jam deinceps auctoritatem pontificatus sui constanter tenere admonuit, atque, ut fratrum suorum potius curam ageret, imperavit: ipse vero sanctissimus senex mox derelinquens atrium, et omnia privilegia honoris sui sese ad basilicam sanctæ Eulaliæ in cellulam vilissimam contulit. Qui, dum aliquando ibidem positus a sæculi hujus procellis absolutus, et in multa quiete constitutus in cilicio et cinere cubans, pro totius mundi piaculis Dominum precaretur, migravit e corpore.

#### CAPUT VI.

*Fidelis episcopus possessiones suas relinquit ecclesiæ S. Eulaliæ, clericos a ruina periculo liberat.*

Post cujus discessum quidam pestiferi homines juxta id quod vir Dei prædixerat, contra beatissimum Fidelem episcopum verbis malignis mussitare cœ-

vet. PP., col. 528: Egreditur retro sacerdos demissam portans casulam, Græce *καπόδιον*, nam eadem voce utitur inferius ipse interpretes; et placet ea provocabula, quibus Ecclesia Romana utitur, apud antiquos scriptores invenire. Vid. Amalarium Fortun. lib. vi de Eccles. Off., cap. 19, et lib. iii, cap. 15, et Raban. Maur. lib. i Inst. cler., cap. 21.

<sup>c</sup> Fidelem episc. De quo iidem scriptores nostri Moral. ii, cap. 72, et Padilla cent. vi, cap. 10.

perunt, ut eum de loco quo constitutus fuerat per quamcunque occasionem pellerent: quod cum ille perpendicularisset, etsi una cum rebus suis ab eorum insectatione separare voluisset; comperto ab illis, quod si ille sublatis de jure Ecclesie prædiis suis se ab eis separaret, illis omnino nihil remaneret: plus inviti quam sponte pedibus suis se prostraverunt, quibus ille non usquequaque repugnans, præbuit assensum, ut, et curam regiminis gereret, et in postmodum omne patrimonium suum Ecclesie dereliqueret. Quod ita factum est, ut eo tempore tantum Ecclesia locupletata est ipsa, ut illa in Hispanie finibus nulla esset opulentior; ac ita, Domino cooperante confirmata est in eum cunctorum pura et sincera dilectio in tantum, ut omnes uno eodemque animo, ardore immense charitatis flagrantibus, erga eum immenso amore sancti ignis astuant, ut unum cor et labium cum eo effecti, nullo penitus modo ab altera dilectione discidio intercurrente discreparent; quoniam tanti vatis memoravimus nomen, operæpretium nobis videretur esse perspicuum de ejus multis, quibus crebro effulsit, virtutibus quamdam exiguam particulam memoriæ tradere. Quoniam igitur Dominico die, dum in atrium cum multis filiis ecclesie tenderet, ut mos est, archidiaconus cum clero in albis ab ecclesia venientes coram eo astiterunt; moxque, ille consurgens, diaconibus ex more thuribula gerentibus, atque ante eum præcedentibus cum universis qui aderant, ad ecclesiam perrexit, qualiter, Deo adjuvante, Missarum solemnia celebrant: at ubi universi eum eo de atrio paululum fere decem graduum processerunt, illico ab imis fundamentis omnis repente amplissimi atrii fabrica ruit, et neminem ibi oppressit, Deo jubente [Anne juvante?]; ex qua re pensandum est, cujus meriti iste vir fuerit, qui ita apud Deum suis precibus obtinuerit, ut prius non daretur antiquo hosti potestas tantæ fabricæ perpetrare ruinam, quam ipse cunctos foris eductos integro numero, Deo miserante, salvaret: sed ut in tanto periculo nullus periret, hoc maxime meritis sanctissimæ virginis Eulaliæ fuisse præstitum nullus ambigat; cum vero sollicitè requirens invenisset quia nemo periret, in nullo penitus animum suum conturbavit, sed magis gratias Deo egit, eique sacrificium lætus obtulit, diemque ipsum jucunde in Domino cum omnibus suis potitus [Anne partitus?] est. Post vero multum temporis intervallum sedis dirutæ fabricam restauravit, ac pulchris Deo opitulante patravit:

<sup>a</sup> Archidiaconus cum clero in Albis, etc. Hunc tanquam præcipuum Ecclesie Hispanie morem observant Moral. et Padilla ex nostro Paulo, qui addi etiam possit iis quæ Isidorus episc. ad Laufredum Cordub. episc. de officio archidiaconi scripsit, et fragmentis quæ Bernardus præpositus Papiensis in collect. Decret. lib. 1, tit. 15, c. 3. ex concil. Tolet. de ejusdem munere collegit.

<sup>b</sup> Ipsius ædificii spatia longe lateque altioribus columnis erigens, pretiosaque atrii columnarum ornatis suspendens, ac pavimentum omne vel parietes omnes nitidis marmoribus vestiens, etc. Certe ad hunc modum S. Eulaliæ templum graphice Prudentius descripsit in ipsius hymno.

<sup>c</sup> Sic ubi marmore perspicuo

ita nimirum<sup>b</sup> ipsius ædificii spatia longe lateque altioribus columnis erigens, pretiosaque atrii columnarum ornatis suspendens, ac pavimentum omne, vel parietes cunctos nitidis marmoribus vestiens, miranda desuper tecta contextit; tum deinde in mirum dispositionis modum basilicam beatissimæ virginis Eulaliæ instaurans in melius in ipso sacratissimo templo celsa turrium fastigia sublimi produxit in arce. Ille namque vir beatus in hoc corpore positus crebro cum sanctorum catervis in choro ecclesie stans, et psallens visus fuisse perhibetur, et alia multa narrantur quæ scribere propter proximitatem sui, ne fastidium legentibus præbeant, deseruimus.

#### CAPUT VII.

*Fidelis episcopus visus interesse sanctorum choris.*

Die quodam puerum familiarem suum ad locum, cui Capsiana vocabulum est, quod ab Emerita urbe millibus sexdecim distat, direxit, ac præcepit ei sub omni festinatione reverti: qui cum fuisset, et eodem die reverti non occurrisset, ibidem mansit; cui in ipso noctis initio jam dormienti visum fuit gallos cantasse, statimque expergefactus, caballum suum ascendit, atque festinus properans, ante medium noctis ad portam ipsius civitatis, quæ appellatur Porta pontis, pervenit; qui cum ibidem diutissime residens cerneret quia ante horam opportunam coxsurrexisset, et quia quamvis clamasset vociferanter, nullus ei portam aperiret; visum est ei, ut caballo suo paululum herbam daret, quousque aliquis forsitan portam reseraret. Et ecce subito intempeste noctis hora elevans oculos suos vidit eminentem globum igneum ab ecclesia S. Fausti, quæ ab urbe fere milliario distat, procedentem, atque ad basilicam S. Leocritiæ pervenientem, qui dum tacitus contemplaretur quidnam esset, nec mora, et ecce multitudo sanctorum, quibus illud lumen præibat, venientes per pontem ad portam usque pervenerunt, cum quibus etiam gradiebatur sancti simus Fidelis episcopus: at ubi ventum est ad portam, videns supradictus puer aucta candidatorum agmina, ipsum etiam S. Fidelem ch'amyde nivea indutum, in medio eorum properantem cernens obstupuit, et exterritus atque tremebundus præ timore factus est velut mortuus: ille vero claustra portarum divinitus reseravit, moxque ingressi sunt civitatem; quibus ingressis, ille consurgens atque volens post eos ingredi, sed nullatenus potuit, quia portam ita clausam, sicut antea invenit: qui cum primo diluculo aper-

Atria luminat alta nitor,  
Et peregrinus et indigna  
Reliquias, cineresque sacros  
Servat humus veneranda s. nu.  
Tecta corusca superrutilant  
De laquearibus aureolis,  
Saxaque cæca solum variant,  
Floribus ut rosulenta patet  
Prata rubescere multimodis.

<sup>c</sup> Sancti Fausti. Hispani nimirum martyr, Cordubæ passi apud S. Eulog. II Mem. SS. ix, et Isidor. hymn. officii Gothici.

<sup>d</sup> S. Leocritiæ. Etiam Cordubensis martyr apud Alvarum Paulum S. Eulogii amicum in ipsius Eulogii passione et hymno diei anniversarii.

ta pervenisset ad atrium, protinus cum vir sanctus A interrogavit, quali hora de prædicto loco egressus fuisset? Qui illi, et horam in qua surrexerat, et moram quam ad portam fecerat, enarravit; quem cum vir Dei interrogavit, si aliquid vidisset? ille, vidisse se fateretur; hunc admonuit, et quousque ipse sanctus vir in corpore esset, nulli referret, ne ei ad immane periculum pertineret. Alia quoque vice similiter eum quidam religiosus cum multitudine sanctorum quadam nocte de ecclesia sanctæ Eulaliæ egredientem, et per basilicam Martyrum euntem vidit, sed incaute agens, multis statim indicavit; postremo ad virum Dei veniens, et ei quod viderat, retulit, cui ille ait: Hoc ut vidisti jam alicubi dixisti, aut non? qui statim respondens, simpliciter confessus est se dixisse; ad hæc ille inquit: Indulgeat tibi Dominus, frater, non recte fecisti, scio igitur quia tibi in futuro iudicio non reputabitur ad culpam: interim vade, comunica, et da nobis osculum; valefac omnibus, quia iturus es tamen, et domui tuæ sub omni festinatione dispone, et si desideras remedium poenitentiae percipe. Qui mox accepta poenitentia dispositaque domo sua, valefaciens cunctis, sequenti nocte migravit e corpore.

#### CAPUT VIII.

*Fidelis episcopus visione admonitus bonis in pauperes distributis migrat ad Dominum.*

Cuidam viro religioso iterum intendere ad officium ecclesiasticum recurrenti quadam nocte dum in lectulo suo intempeste noctis silentio sopore depressus jaceret, visum est, a quod signum ad matutinum dedisset; qui statim consurgens omni festinatione ad Ecclesiam, ne ei tempus sacrificii præteriret, occurrit, cursuque rapidissimo properans, anhelabundus illuc pervenit: at b ubi ingressus est ecclesiam sanctæ Mariæ, quæ Sancta Hierusalem nunc usque vocatur, audivit voces miræ modulationis canentium, inspiciensque ad chorum, vidit stantem multitudinem sanctorum; qui nimio pavore concussus atque in tremorem versus sese in angulum basilicæ s'enter contulit, atque tacite contemplans, sollicitè auscultans, audivit consueto ordine omne ab eis ejus offi-

a Quod signum ad matutinum dedisset. Sic inferius, *Ecce continuo hora est ut signum dari debeat.* Antiquissimus hic in Ecclesia signo dato ad horas congregandi ecclesiasticos viros mos est. Sed quatuor hoc modis pro diversitate temporum effectum animadverti, ligno, ære, voce, cursore. De ligno, Amalarius iv de Offic. diut. 25: *Lignei instrumenti sono utebatur Ecclesia Rom. antiquis temporibus, quando latitabat per cryptas propter persecutores.* Liber miraculorum Anastasii Martyris in vii syno l., act. 4, recitatus, *Lignaque sacra pulsantes invicem obviam facti sunt.* De ære, notius est, quam ut hic exemplis pateat. Vid. plura apud Joan. Stephan. Durand. i de rit. Eccles. Cath. 22. De voce, Hieron. epist. 27: *Post Alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad collectam,* etc. in monasterio Paulæ. De cursoribus, Ignatius Martyr epist. ad Polycarp.; iis utebantur Christiani, ut ligno, propter persecutores, sed initio nascentis Ecclesie. Signa vero, sive tintinnabula, aut notæ semper in eminentiori loco. Einhardus lib. iii de translatione SS. Marcellini et Petri cap. 15. *Turrcula, quæ signo basilicæ continebat, ab eis conspici*

cum esse completum; quo expleto paulo adhuc ante gallorum cantum cum laudibus pervenerunt ad ecclesiam S. Mariæ ad basiliculam S. Joannis, in qua baptisterium est, quæ nimium contigua antefatæ basilicæ pariete tantum interposito utraque uno tecti tegmine conteguntur, explicitisque laudibus ceperunt ad invicem dicere: Ecce continuo hora est, ut signum dari debeat; ob hoc prius necesse est, ut id pro quo destinati sumus, ordinemus: cumque hoc dixissent, apparuerunt in conspectu eorum Æthiopes tetri nimiumque terribiles, quorum statura videbatur esse gigantea, nigredo perquam teterrima, ita ut ex ipso eorum toto intuitu nimiumque atro vultu palam cernenti daretur intelligi ipsos proculdubio tartareos esse ministros; quique etiam romphæas a utissimas B suis gestabant in manibus, quibus mox sancti dixerunt: Sub omni celeritate pergentes ad atrium, ingredimini cellam, in qua sanctus Fidelis episcopus jacet, et percutite eum vulnere gravi in corpore, ut anima ejus quantocius egrediens e corporali cateca nobiscum ad Dominum nostrum Jesum Christum, et ad præparatam sibi possit pervenire coronam. Qui illico jussui [Al. jussi] obtemperantes, ambulaverunt; sed eum minime percutientes reversi sunt, dicentes: In cellam ejus minime ingredi possumus, quia non dormit, sed in terra prostratus jacet et orat; insuper tanto thymiamatis suavissimo odore cella ipsa refolet, ut nitor tantæ fragrantie incensi qui ab eo oblatu est Domino nos illuc penitus intrare non sinat. Quibus denuo præceperunt, dicentes: Ite, et C percutite eum, quia jussio Domini est adimplenda. Qui cum fuissent, nec intrare potuissent, revertentes iterum dixerunt: Vacat oratio quando venit vocatio: sed ite et implete præceptum Domini, quod semel datum est nequaquam transcendendi potest. At ubi tertio fuerunt, permittente Deo, ingressi sunt, tam forti scilicet manu crudeli eum percusserunt, ut vocem quam emisit cum dolore gravi simulque, et gemitu, is qui in ecclesia stabat religiosus clare audivit. Facto vero diluculo ad sanctum episcopum accessit, et cuncta quæ viderat quæque etiam audierat ei intimavit, cui ille ait: Scio, fili mi, scio, et me nullo

potuisset. Campanarium vocat Malaxus. Vid. J. C. Bucengerium, lib. iv, cap. 37, de Templis.

b Ubi ingressus est ecclesiam S. Mariæ quæ, sancta Hierusalem nunc usque vocatur. Sic etiam cap. 12. *In thesauro ecclesie senioris, quæ vocatur sancta Hierusalem; concilium Emeritense tempore Reccesinthi regis, ipso initio, Congregatis nobis omnibus provinciæ Lusitanie Episcopis in nomine Domini, residentibus in Hierusalem ecclesia, quæ in Emeritensi urbe, quæ caput hujus provincie noscitur esse, et sub principali nomine manet dicata, etc.* Non absimiliter in concilio Tolet. lxxii, episcop. jussu Reccaredi regis congregato in templo maximo S. Mariæ, in secretario dicto Hierusalem apud M. Maximum ad ann. 590, et in concilio Spalensi (sic in antiquis codicibus legitur in tempore Sisebuti regis, *considentibus nobis in secretario sacrosanctæ Hierusalem Spalensis ecclesie,* etc. Nec aliter in i (si concilium illud est, seu potius e concilio epistola episcoporum ad Pegasium) cap. 1. Nam hæc absque dubio metropolitanarum ecclesiarum prerogativa. Vid. Padill. cent. 7, cap. 19 et 47.

modo latet; cumque hoc dixisset, et imminente aegritudine artubus jam fatiscens se totum dissolvi repente sensisset, ab basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ se deferri præcepit, sua ibidem imprimis multis lacrymarum satisfactionibus delevit delicta, deinde multis captivis et egenis multam largitus est stipem; ad ultimum redditis chirographis multorum debita relaxavit. Sed dum omnibus reddidisset, cautio cujusdam viduæ remanserat, quæ necdum fuerat reddita, quam ille exspectaret ut ei redderet, sed quemadmodum muliercula, præ turbæ densitate, qua circumseptus erat, ut accederet non habebat: quæ cum per singulos dies veniret, et locum minime reperiret, et nimium mœstificata mente anxietur nihil agens, mœrore afflicta ad suum hospitium remearet, ei quadam nocte sanctissimus Cyprianus et Laurentius in visu astiterunt, dicentes: Nosti, quare locum non invenis? at illa respondit: Nescio. Et dic, inquit, quare per reliquas basilicas fratrum nostrorum cæterorum martyrum frequenter concurris, ad nos vero venire contemnis. Quæ statim surgens ad eorum basilicas concurrat, orationem cum lacrymis fudit, pro negligentia retroacti temporis veniam imploravit, atque inde ad basilicam S. Eulaliæ rediit, mira celeritate locum reperit, chirographum suum absque difficultate recepit, Deo et sancto ejus miras gratias retulit, pro quo non solum locum paratum invenire meruit ingrediendi, verum etiam ita sanctis Dei disponentibus gestum est, ut quando ingressa est, sanctus episcopus cautionem ipsam manu propria tenens, præstolaretur cui reformare deberet; atque ita factum est, ut illo benigne reddente, atque illa cum gaudio, quæ diu desideraverat, recipiente, paulo post vir sanctus præcedentibus sanctorum cœtibus, expectantibusque angelicis choris ad ætherea regna tripudiando migraret, cœlestibusque phalangis concertus cum exultatione perpetua perpetim conglomerari in sidereis mansionibus, Jesu Domino percipiente, muerit; corpusculum vero ejus juxta corpus sanctissimi prædecessoris sui uno eodemque sarcophago traditum, velut in uno lectulo, honorifice est tumulatum.

#### CAPUT IX.

*Massona natione Gothus, nutritus in ecclesia sanctæ Eulaliæ, succedit Fideli in episcopatu: xenodochium et monasteria ædificat.*

Hæc præfato almo viro ad supernam patriam transmigranti providentia divinæ pietatis subrogatur non impar omnium virtutum gloriæ vir orthodoxus, cui nomen erat Massona <sup>a</sup>, scilicet beatus beato, et

<sup>a</sup> *Massona*. Aliis *Mausona* est; de quo scriptores nostri Joan. abbas Biclarens. in Chron.; M. Maximus ad ann. 579, 586, 588, 597. Roderic. Tol. II, c. 14, Chron. Hispaniæ generale jussu Alphonsi cognomento sapientis collectum II part., cap. 40; Vasæus ad ann., 571 589; Garin. lib. VIII, cap. 83; Moral. lib. XII, c. 6; Marian. lib. V, cap. 13 et 14. Loaisa Not. ad Concil. Tolet. III. Padill. Cent. VI, c. 45 et 55, alii, sed recentiores ex uno Paulo, quem ex ipsis poterit quis illustrare: iis adde illustriss. Annal. Eccles. Cæsarem ad ann. 589; et quæ ad cap. 20

sanctus sancto, pius pio, bonus benigno, atque cunctis charismatibus refulgens, rutilanti immensis virtutibus sacerdotali ordine <sup>b</sup> Massona successit Fideli: prædecessore suo nimirum astrigeris civibus conserto in cœlis successoris mansit dulcedo, ejusque insigne meritum cunctorum civium mœrorem lenivit in terris, ut omnibus pro obitu sancti pontificis mœrore non solum discuteretur, verum etiam instar priscorum Patrum Eliæ quemdam (sic) et Elisei (IV Reg. II, 15) duplicata Paracleti Spiritus gratia palam cunctis cernentibus S. Fidelis antistitis in Massonam sanctum episcopum requievisse videretur, et plebs sublevato pastore non usquequaque læderet afflicta languore, sed geminato gaudio congaunderet, divina tribuente miseratione, dum et illum pro sui salute præmisit ad cœlos, et istum ex micæ virtutis virum suscepit gratulanter in terris. Denique sanctus Massona antistes, <sup>c</sup> nobili ortus in hoc sæculo originè, sed vitæ meritis exstitit multo nobilior; genere quidem Gothus, sed mente promptissima, erga Dominum perquam devotus, atque viriliter Altissimi virtute præcinctus, moribus sanctis ornatus, habituque magni decoris pulchrificatus, charitatis humilitatisque ab ineunte ætate refulgenti stola circumamictus, balteo fidei firmiter circumcinctus, prudentia scilicet et justitia insigniter circumseptus, dilectione summi Dei et proximi mirifice decoratus, dilectus namque Deo et hominibus erat, et gloria mirabilis, amator fratrum, multum orans pro populo, cujus nomen multis coruscando miraculis per omnem terram pertransivit. Hujus itaque temporibus morborum pestem inedixque inopiam ab urbe Emeritensi et omni Lusitania ejus precibus Dominus procul abegit, meritisque sacrosanctæ Eulaliæ virginis longius pepulit, tantanque salutem et omnium copiam deliciarum cuncto populo impertire dignatus est, ut nullus unquam, quamvis inops, aliquid habere videretur, aut qualibet necessitate fatigaretur, sed quemadmodum opulenti, ita et inopes omnibus bonis abundarent, et quodammodo instar cœlestis gaudii in terris tanti pontificis merito congaunderent; omnibus inerat gaudium, cunctisque aderat pax, nulli aberat felicitas, in omnium corda florebat perfecta charitas, in omnium sensu pollebat jucunda tranquillitas, ita nimirum, ut devicto antiquissimo hoste, ac superato veteroso dracone, nemo mœrore consternatus, nemo angustia afflictus, nemo quolibet terrore perculsus, vel quolibet zelo aut invidia tactus callidi anguis virulentis stimulis quateretur; sed perfecta charitate repleti cuncti, Deo admittente, pii Patris gratia jucundantes, notamus.

<sup>b</sup> *Massona successit Fideli*. M. Maximus ad ann. 560 ordinem invertit, cum ait: S. *Massona successit in Emeritensi sede Paulo*; et ad ann. 566 *Paulus Emeritensis episcopus episcopo successit Fideli*; e nostro emendandus; nam Paulo successit Fidelis, Fidelis Massona: vid. Moral. lib. II, cap. 72, et Padilla Cent. VI, cap. 50.

<sup>c</sup> *Nobili ortus in hoc sæculo origine*. Moral. lib. XII, cap. 6.

imperterriti, sine metu vel formidine omnium in Dei laudibus persistebant constanter, non solum autem in omnium fidelium arcanis ejus flagrabat immensa charitas, sed etiam omnium Judæorum vel Gentilium mentes miro dulcedinis suæ affectu ad Christi gratiam pertrahabat. Quantus igitur qualisque fuerit, inertia linguæ nostræ ad singula explicare non valet; sed quamvis maxima taceamus, extrema saltem e maximis memoremus. Denique supradictus vir <sup>a</sup> priusquam ordinaretur episcopus in basilica sanctissimæ virginis Eulaliæ fertur cum summa diligentia advixisse, et ibidem multis annis Deo irreprehensibiliter deservisse: postquam vero inspirante Deo in hominum ore, oculis et animo residens, sublatus inde, constitutus est episcopus, statim in exordio episcopatus sui monasteria multa fundavit, prædiis magnis locupletavit, basilicas plures miro opere construxit, et multas ibidem Deo animas consecravit; deinde xenodochium fabricavit magnisque patrimoniis ditavit, constitutisque ministris vel medicis peregrinorum, et ægrotantium usibus deservire præcepit; taleque præceptum dedit, ut cunctæ urbis ambitum medici indesinenter percurrentes, quemcunque servum seu liberum, Christianum seu Judæum reperissent ægrotum, ulnis suis gestantes ad xenodochium deferrent, straminibus quoque lectulis itidem præparatis, eundem infirmum ibidem superponentes, cibos delicatos et nitidos eousque præparantes, quosque cum Deo ægroto ipsi salutem pristinam reformarent; et quamlibet a prædiis xenodochium collatis multis deliciarum copia pararetur, adhuc viro sancto parum esse videbatur; sed his omnibus beneficiis adjiciens majora, præcepit medicis, ut sagaci sollicitudine gererent curam, ut de omnibus eximiis ab universis sanctuariis ex omni patrimonio Ecclesiæ in atrium illatis medicatam acciperent, et iisdem infirmis deferrent. Si quis enim de civibus urbis, aut rusticis de ruralibus ad atrium ob necessitatem accessisset, liquorem olei, vini, vel mellis a dispensantibus poposcisset, et <sup>b</sup> vas parvulum, in quo levaret, exhibuisset; et cum vir sanctus, ut erat semper obitu gratus, jucundi vultus, mox ipsum vasculum confringi, et ut majus deferret, præcipiebat. In elemosynis vero pauperum quantum largus exstiterit, soli Deo reservatum est nosse; tamen et de hoc ipso quamdam particulam enarremus. Tanta illi cura erat <sup>D</sup> pro omnium ærumnis miserorum, ut ad basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ diacono, viro venerabili, Redempto nomine, qui præerat, duo millia solidos dederit, e quibus, mox ut aliquis urgenti necessitate advenerit facta cautione [*at. quæstione*], quantos vellet absque aliqua mora vel difficultate acciperet, suisque angustiis consuleret: nec hoc silendum reor, quam largifluus in muneribus exstiterit, quippe qui alienæ rei abinentior, suæ largior, nec accipiendi, sed dandi magnanimitate, præpollebat, avidior dan-

<sup>a</sup> Priusquam ordinaretur episcopus. Padilla Cent. vi, cap. 68.

<sup>b</sup> Vas parvulum in quo levaret, etc. Hispanismus.

de rei quam appetendæ, potiore dandi quam accipiendæ didicerat fortunam, multa largiebatur, nihilque auferebat, sed ultro cunctis concedebat, donabat multa, largiebatur plurima, ditabat universos beneficiis, et munificentia magnus habebatur; omnes ab illo augebantur, donis ac divitiis locupletabantur, et non tantum fratribus et amicis, quantum et servis ipsi Ecclesiæ se muneribus largum, ultra quam credi potest, præbebat; ita nimirum temporibus ejus ditati sunt, ut in die sanctissimo Paschæ cum ad ecclesiam procederet, plurimi pueri chlamides olosericas induentes coram eo, quasi coram rege incederent; et quod his temporibus nullus poterat nullusque præsumebat, hujusmodi indumentis amicti ante eum debitum deferentes obsequium, pergerent; sed merito ei ab omnipotenti Domino fuit tanti meriti donum colatum, cujus cor, in tanta opulentia et gloria transitorie prosperitatis gaudio, nunquam fuit turgidum nec inflatum; nimirum humilis animus ejus supra solidam petram fundatus immaculabilis conscientie cogitatione sincera calliditatisque ignara, in prosperis humilis, in adversis existebat fortissimus, nec prosperitate erigebatur, nec adversitate frangebatur, nullo detrimento aut augmento constantia ejus mutabatur; constans erat in cunctis, et adversus omnia promptissime paratus, patiens nimium, et robore firmissimus, in cunctis adversis constans, in omnibus angustiis imperterritus perseverabat, vultum nec gaudio, nec mœrore commutabat; unus vultus semper ejus, una hilaritate decoratus cunctis occurrebat; semper idem, cujus vultus nec unquam rerum varietate mutabatur; non illum cunctis inimica elatio virtutibus extulit, sed in omnibus humilitatem sinceram sincere consecravit sacratissimo cordis affectu; cumque talibus divino favore virtutibus polleteret, fama honorum opinione concrescente affulsit; et opera luminis a vero lumine condonata, multis in regionibus coruscavit.

#### CAPUT X.

*Leovigildus rex Wisigothorum Arianus studet avertere Massonam episcopum Emeritensem a fide catholica.*

Unde accidit ut hæc opinio sævissimi atque crudelissimi Wisigothorum Leovigildi regis penetraret auditum, et suæ invidiæ draco immanissimus bonis operibus semper æmulus, stimulis acrioribus irritatum, ejusdem principis animum virus vipereum satiare, et poculum venenatum ejus in visceribus transfunderet: cujus poculi lethalis haustu, protinus consilio armatus, diabolica stimulante invidia, supradicto sanctissimo viro legatis intercurrentibus iterum iterumque mandavit ut, relicta fide catholica, ad Arianam hæresim cum universitate plebis commissæ diverteret: cumque vir Deo dicatus constantissime responderet, et bis terque regredientibus nuntiis, regi mandaret nunquam se veram fidem relinquere, quam semel agnovisset, ipsi nuper Ariano regi ex-

Nobis tollere est llevar, duplicato, nostro more, II, sed a Latino levare tractum.

<sup>c</sup> Redempto. De quo etiam cap. 3 et 18.

probravit, ut debuit, ejusque ad se perfidiam dignis increpationibus repulit; ad se itaque reversis nuntiis cepit supradictus rex diversis suasionibus et premiorum promissionibus ejus animum illicere, si forsitan per quamcunque occasionem posset ad suæ superstitionis voluntatem incurvare: ille vero suasiones ejus callidas contempsit; dona et præmia, veluti purgamenta, repulit; a fidem catholicam viriliter prorsus vindicavit; nec tamen contra perfidiam tacere maluit, ne tacendo forsitan consentire videretur, sed totis viribus ejus vesaniæ repugnans, clangore veritatis personuit. Cumque se ille cerneret casso labore desicere, raptus in furorem, cepit eum multis pulsare terroribus, opinans minis posse concutere quem blandimentis superare nequivisset; sed vir sanctus nec terroribus frangitur, nec blandimentis suadetur: sed forti congressione adversus atrocissimum tyrannum dimicans, pro defensione justitiæ persistebat invictus.

## CAPUT XI.

<sup>b</sup> *Sunna pseudoepiscopus Emeritensis Arianus disputatione publica victus a Massona.*

Comperito dehinc crudelissimus tyrannus quod nec minis, nec muneribus, viri Dei animum a recta fide ad sui perfidiam apostatare posset, ut erat totus vas iræ (Rom. iv, 22) fomesque vitiorum, ac frutex damnationis, cujus obsidebat pectus truculenti hæresis, et captivum in sua ditione tenebat callidissimus serpens (Gen. xxxvii, 6), amara pro ducibus, pro lenibus aspera obtulit civibus, pro salute medicamenta mortifera; quemdam scilicet virum pestiferum, Arianæ hæreseos pravitatem per omnia vindicantem, cui nomen erat Sunna, pro seditiosis simultatibus excitandis, et pro conturbatione sancti viri, vel totius populi, in eadem civitate episcopum Arianæ partis instituit; virum denique pravi dogmatis factorem, hominem funestum, vultu teterrimum, cujus erat frons torva, truces oculi, aspectus odibilis, motus horrendus, eratque mente sinister, moribus pravus, lingua mordax, verbis obscenus, forinsecus turgidus, intrinsecus vacuus, extrorsus elatus, introrsus inanis, foris inflatus, interius cunctis virtutibus evacuatus; utrobique deformis, de bonis indignus, de pessimis opulentus, delictis obnoxius, perpetuæ morti nimis ultroneus: hic jam supradictus perfidie auctor dum in urbem Emeritensem adveniens, quasdam basilicas cum omnibus earum privilegiis præcipiente rege sublatis, ausu temerario de potestate proprii pontificis sibimet aggrediens usurparet, addictus prædonis funesti arctioribus viculis, satiatuque de ejus lethalibus poculis, cepit contra Dei famulum rabidos allatrare sermones, et verbis strepentiibus comminantes spurcissimas evomere vo-

<sup>a</sup> *Fidem catholicam viriliter prorsus vindicavit. Massona, unde Joan. Biclarens.: Massona Emeritensis Ecclesiæ Episcopus in Christi fidei dogmate clarus habetur.*

<sup>b</sup> *Sunna. Non hic solum pseudoepiscopus in locum Massona: suffectus est, sed etiam alius: Maximus Casaraugust. ad ann. 681 inter eos qui, Leovigildo per-*

ces. Sed servum Dei probatis imum, nec comminatio furciferi fregit, nec turbulenta ira pestiferi molivit, nec tempestas insanientis perlitii deflexit, sed instar fortissimi muri immobilis (Prov. xviii, 11) contra omnes procellas pro sanctæ fidei defensione permansit: cumque toto adnexu Dei famulum vel omnes fideles jam dictus infidelis exquisitis martyriis exturbare vellet, nec posset, fretus favore regio, basilicam sanctissimæ virginis Eulaliæ passim aggredi nitebatur, ut ea sublata de proprii episcopi potestate Arianæ hæresi dedicaret; cui cum sanctus Massona episcopus, vel universus cum eo populus acriter obsisteret, ac vehementer oppugnaret; supradictus pseudoepiscopus Sunna antefato principi multa in accusationem sancti viri scripsit, eique suggestit ut ipsa sacra basilica, quam adire intenderat, a catholicorum potestate sublata, ditioni suæ regio imperio traderetur; ad hæc illum talem fertur pronuntiasse sententiam: Ut residentibus in atrio Ecclesiæ iustitiam utriusque episcopi ab eisdem assumpti adessent, ipsisque coram positis utriusque partis defensione conflictu disputationis altercarentur, alternisque adversum se congressionibus dimicantes, de sacrarum Scripturarum voluminibus, quæque ab eis essent dicta prolatis testimoniis astruerent vel roborarent; et cujus pars triumphum bravii obtineret, ipse nihilominus ecclesiam sanctæ Eulaliæ sibimet vindicaret. At ubi hujusmodi decretum incrementum in auribus almi viri Massonæ personuit, illico basilicam sanctæ Eulaliæ virginis properus petiit, tribusque diebus totidemque noctibus in partitionibus et fleibus perseverans, ante altare sub quo venerabile corpusculum sacræ Martyris situm est, pavimento prostratus incubuit; tertio demum die ad atrium quod est fundatum intra mœnia ipsius urbis repedit, tantaque cum alacritate et mentis constantia ingressus est, ut nulli fidelium ambiguum videretur, illum in ejus pergere adjutorium, qui dixit: *Nolite præcogitare quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus* (Matth. x, 19, 20); cumque pervenisset in urbem, ingressusque atrium consedisset, vultus sui jucunditate cunctorum fidelium hæsitantiam abstulit, ac ne in aliquo de ejus victoria hæsitarent, admonuit; ipsumque nefandum Arianum episcopum, simulque iudices diutissimam est præstolatus; tandem Arianus episcopus una cum iudicibus, septus catervis populi turgidusque fastu superbiæ ingressus est. Tum deinde residentibus episcopis, resederunt et iudices, illi maxime qui erant fautores Arianæ partis et impiissimi regis cumque resedissent, sanctus Massona episcopus, ut erat summæ gravitatis summæque prudentiæ, diu multumque oculos cœlo

quente, Hermenegildum synodum congregarant, recenset Sunnam (non Sunnam, ut in vulgatis est.) et Nepotianum episcopos Emeritensis Ecclesiæ intrusos; nisi hunc Nepotianum Nepotianum crediderim ex cap. 13 et 15 nostri Pauli. De Sunna vid. Moral. lib. xi, cap. 6; Marian. lib. v, cap. 54, et Patill. cap. 68, Cent. vi.

intentos silentio tenuit, cumque sileret, <sup>a</sup> hæreticorum Sunna episcopus prius loqui exorsus est, cœpitque nefandi oris strepentina aspera, scabra, et obscena summo cum fragore producere verba. Cui cum vir Dei patienter, leniter, suaviterque responderet, atque ille contra procacioribus verbis, utpote per os draconis insibilaret, cœperunt utrique inter se verborum ingens habere certamen, sed nulla ratione potuit moles carnea sapientiæ Dei sanctoque Spiritui, qui per os servi sui Massonæ episcopi loquebatur, resistere. Quid multa? omni ratione convictus superatusque conticuit, ac pudore nimio cooperatus erubuit, et non tantum ille quantum mediatores perversi qui ejus partibus importune nitentur ferre adminiculum, et non solum confusi erubuerunt, verum etiam audientes inexistimabilis doctrinæ loquelam mellifluo sermone de ejus ore procedentem, mente consternati, atque in stupore nimio conversi, cum multa admiratione quem expugnare ante venerant collaudabant; nam tantam gratiam in suis labiis eo die Dominus eo ferre dignatus est, ut nunquam eum quisquam viderit prius tam claro eloquio facundum, et licet semper docuerit ore facundo, tunc tamen præ cæteris diebus eloquentior existit, tunc enim viderunt recti, et lætati sunt, et omnis iniquitas obturavit os suum (*Psalm. cvi, 42*): quoniam obstruxit Dominus os loquentium iniqua (*Psalm. lxxii, 12*). Cuncti ergo fideles vehementer admirati sunt, quia quamvis virum hunc antea novissent eloquentissimum, nusquam tamen tam scholastico sermone, tam nitido, tamque dulcifluro eloquio reminiscebantur fuisse locutum. Tunc protinus omnes orthodoxi omnesque catholici, prostratis superatisque hostibus, in laudibus acclamaverunt, dicentes: *Quis similis tui in diis, Domine? quis similis tibi? et non est secundum opera tua* (*Psalm. lxxxv, 6; lxx, 19; lxxxii, 2*). Deinde ad basilicam gloriosæ virginis Eulaliæ, una cum victore antistite Massona unanimiter perrexerunt, in Dei nimirum laudibus exsultantes venerunt, immensisque fragoribus jubilantes sacratissimum ejus templum introierunt, infinitas gratias Deo omnipotenti retulere, qui sanctæ suæ virginis precibus in sublime erexerat famulos, et ad nihilum suos redegerat inimicos.

#### CAPUT XII.

*Massona Toletum a rege vocatur, recusans dare tunicam sanctæ Eulaliæ, in exilium missus, equum ferocem domat.*

Igitur supradictus hæreticus Sunna, quamlibet omni ratione et veritate fuerit convictus, pertinaciter in fidem pristinam perduravit, nec poterat liberis gressibus ad portum properare salutis, cujus cor lapideum instar Pharaonis antiquus, permittente Deo,

<sup>a</sup> *Hæreticorum Sunna episcop. prius loqui exorsus est, etc.* Habes hic, pie Lector, graphicam catholici et hæretici spiritus descriptionem. Ut veritas semper una eademque celebratur, sic hæresis nunquam sine malitiæ colorem mutavit. Intemperiam et fastum falsi oris hic vides, temperantiam et soliditatem Christiani pectoris contemplaris. Quot inter catholici

induraverat hostis. Post hæc superatum se in omnibus videns, cœpit magis magisque mente effera adversus famulum Dei criminationes et objecta commercia callidis machinari dispositionibus, atque contra militem Christi omni genere septus telorum, seipsum potius expugnaturus advehi, ipsumque beatissimum virum Massonam episcopum in auribus principis Leovigildi Ariani clam multis criminibus accusare; nihil sane calliditas adversantis prævaluit, nihil viro Dei calamitosa nequitia nocuit, quem gratia Redemptoris spiritualibus armis armavit. Tandem spiritus nequam compulit sæpe nominatum Arianum regem, ut sanctum virum a propria sede moveret, suisque obtutibus præsentare juberet: ociusque ministri compares criminis ejus, præceptionis dictum implentes, atque ad Emeritensem urbem venientes, virum beatum sub omni celeritate <sup>b</sup> ad urbem Toletanam, in qua rex erat, properare compellunt: hinc cum subito sanctissimus vir, Massona episcopus, e gremio raptus Ecclesiæ tolleretur, et indemnis quasi reus ad exilium duceretur, omnium civium Emeritensium vox ejulatu magno cum intolerabilibus lacrymis perstrepebat, tanti patroni abrogari sibi remedia, immensis gemitibus, immensisque ululatibus proclamabant, his nimirum vocibus clamitantes: Cur ovile tuum, pie deseris Pater? cur gregem periturum relinquis? neque luporum nos in faucibus mittas, ne oves tuæ, hactenus nectare floribus relectæ, mortalibus dentibus a mordacibus laudentur lupis? nimis procurante pontifice, tunc ille motus tot fletibus, ut semper in Domino pietatis visceribus influebat, lacrymasse perhibetur; deinde plurimisque eos alloquens verbis, mira subtilitate consolari dignatus est; post hæc valefaciens cunctis, comitante sibi suffragio divino, profectus est tranquilla mente, constanti animo, hilari vultu, ut semper solitus erat. Cumque pervenisset ad civitatem Toletanam, et atrocissimi tyranni conspectibus astitisset, plurimis eum rex lacessens conviciis, multisque terroribus pulsans, ad hæresim Arianam omni adnixu pravæ intentionis pertrahere cupiebat: sed cum vir Dei omnes sibi illatas contumelias libenter toleraret, cœpit tamen adversus ea, quæ rabidus canis oblatrabat, cum omni mansuetudine incunctanter respondere, et omnia propriis contumeliis, pro injuriis catholicæ fidei condolens, ipsi tyranno audaciter resistere, cujus constantia magis magisque permotus insanissimus rex, multo magis cœpit rabido ore rabidioribus adversus Dei famulum infremere latratibus; deinde, ut tunicam sanctissimæ virginis Eulaliæ præsentaret, quam in basilicam Arianae pravitatis ibidem in Toletano habere deberet, cœpit minis terroribusque impellere. Ad hæc vir Dei respondit: Compertum tibi est, quia cor

cos et hæreticos congressus olim et nunc legimus; tam similes admiramur quam lac lacti; itaque exemplis supersedeo.

<sup>b</sup> *Ad urbem Toletanam.* De accitu S. Massonæ ad eam Moral. xii, cap. 6, et Padill. Cent. vi, cap. 68. De ipsa urbe nos copiosissime, lib. de Tol. urb. Antiquit.

meum sordibus Arianæ superstitionis nunquam maculabo; tam perverso dogmate mentem meam nunquam inquinabo; tunicam dominæ meæ Eulaliæ sacrilegis hæreticorum manibus polluentiam, vel etiam sanctis digitis contrectandam nunquam tradam, nec a te reperta quocumque tempore possideri potest. Hæc profanus tyrannus audiens in furorem insanix versus festinanter, celeriter ad Emeritensem urbem misit, qui ubique ipsam sanctam tunicam sollicite requirerent, et tam in thesauro S. Eulaliæ quam in thesauro ecclesiæ senioris, quæ vocatur Sancta Hierusalem, sagaciter scrutantes eo usque perquirent, quousque eam repertam ad eum deferrent; quo cum venissent, et ubique strenue requisissent, minime repererunt. ac sic vacui ad regem suum redierunt. Quod cum ei nuntiarent, acrius infrendere cum dentium stridore contra virum Dei diabolus cœpit; cumque ejus obtutibus sisteretur, ait ad eum: Dic ubi est quod requiro? aut si non dixeris, cognosce te gravius afficiendum esse injuriis, et post in regionem longinquam in exsilium proficisci, ubi multis ærumnis affectus omnibusque necessitatibus intolerabiliter cruciatus, crudeli morte delicias. Ad hæc vir Dei tale fertur delisse responsum: Exsilium mihi minaris, compertum tibi sit quia minas tuas non pertimesco, exsilium nullatenus pavesco, et ideo obsecro te, ut si nosti regionem aliquam ubi Deus non est, ibi me exsilio tradi jubeas. Cui ille ait: Et in quo loco Deus non est, a biotenate [Fort. biondonate]? Et vir Dei respondit: Si nosti quod in omni loco Deus est, cur mihi exsilium minaris? nam ubicunque me direxeris, novi quia nunquam pietas Dei me derelinquet, sed et hoc certum habeo quia quantum tu in me crudelius fueris debacchatus, tanto magis me misericordia ejus subsequetur, et consolabitur clementia ejus. Ob cujus constantiam majori supplicio pessimæ mentis suæ insanissimus tyrannus interius afflictus, felle et amaritudine nimia permotus, ad eum ait: Aut præsentam mihi ipsam tunicam, quam fraudulenter subripuisti, aut si non præsentaveris, diver-

<sup>a</sup> *Biotenate*. Anne βιοθανάτε? anne a voce βρότος ut miserum vocet, vel a βρότος, ut cruentum dicat? Fortasse: sed magis crediderim legendum *Burdonate*, tum quia Græcas voces in ore Leovigildi vix posse reperiri existimem; tum etiam quia antiquissimi Hispanorum dicebant *Borde* eum quem obliquum a putre genus vocat Stilius, et degenerum. J. C. quique in Euripideis Phœnissis *ματρι λοχευμα, μισμα πατρὸς, matri turpis partus et patri probrum ac piaculum est*: nec aliter nothos et spurios vocari hodie in multis Hispaniæ partibus scio, et merito, cum *Borde* quasi βρόδος, sive βρόδων, unde nos stupidum *burdo* vulgo appellamus, et *burdones* muli ex asina sunt; sic ubi *burdonum onus* IV Reg. v Vulgatus interpres legit, Hebræi, Chaldæi et LXX mulorum habent. Itaque vel, ut spurium notet, aut blennium dicat impius rex pium episcopum, *Bordonatum* aut *Burdonatum* sinit, quasi *burdonenatum*.

<sup>b</sup> *Divaricari* Cicer. de sig. *Sopatrum hominem summo magistratu peditum divaricari ac deligari jubet*; hoc est distendi: de arboribus dixit Cato, rami divaricantur.

<sup>c</sup> *Ecce hic in ventre meo est*. Tunica scilicet S. Eulaliæ, quam Leovigildus requirebat, de qua Moral. XII, c.

sis supplicii faciam<sup>b</sup> divaricari membra tua. Cui miles Dei ita imperterritus respondit: Jam dixi tibi semel et iterum, quia minas tuas non formidabo, sed si quid valet mens tua perversa, amplius adversus me excogitet; ego tamen nec te pertimesco, nec metu territus id quod requiris præsentabo; sed hoc scito, quia tunicam ipsam igne combussi, pulveresque ex ea feci, et in liquorem aquæ pernixtos bibi; et tactu manus tuæ (contrectans stomachum dicebat) evidenter cognosce, quia in pulveres redactam illam bibi, et<sup>c</sup> ecce hic intus in ventre meo est, nunquam tibi illam reddidero. Hoc autem ideo dicebat, quia nullo sciente sibi eam in stomacho plicatam infra sua indumenta linteis involutam præcinxerat, et ita Deo solo conscio gestabat; nam sic cæcavit Deus oculos ipsius regis, et omnium assistentium, ut nullus intelligeret quemadmodum vir Dei ista prosequeretur. Dum hæc et his similia loquerentur, et es-et multa cæli serenitas, majestas divina cœlitus fragore magno repente intonuit, ita ut tremebundus de throno suo Leovigildus rex in terram cum pavore magno proccideret. Tum vir Dei cum exultatione magna ait: Si rex es? ecce Regem quem timeri oportet, nam non talis qualis tu est. Tunc deinde spiritus nequam extemplo noxialibus verbis os sacrilegum tyranni conviciis semper armatum reseravit; et istam protinus impietatis suæ sententiam oblatravit [At., oblateravit]: Massonam moribus nostris semper contra nos infestum, fidei nostræ inimicum, religionique contrarium, oculus<sup>d</sup> a conspectibus nostris substractum exsilio relegari jubemus. Cumque hujuscemodi inimicus impiissimus rex malam sane sententiam contra insontem dedisset, totius ministri compares criminis eum a conspectibus ejus abstraxerunt, equumque ferocem ei ad sedendum præcipiente rege paraverunt, qui eum ita præcipitaret, ut cadens fractis cervicibus crudeliter interiret; tantæ scilicet ferocitatis equus erat, quod nullus sensor (pro eo quod jam multos per præceps corruere fecerat) ascendere præsumebat. Cumque viro Dei, ut in eo

6, Marian. v, cap. 15, et Padilla Cent. vi, cap. 68.

<sup>d</sup> *A conspectibus nostris abstractum exsilio relegari jubemus*. Rodericus Tolet. II, cap. 14. *Denique Arianæ perfidiæ repletus (Leovigildus) in Catholicos persecutione commota Leandrum Hisp. et Massonam Emeritensem sanctissimos episcopos, et alios plurimos exsilio relegavit*. Quid deinde? *Ecclesiæ redditus infiscavit, et privilegia eorum abstulit, multosque terroribus Arianæ pestilentix applicavit plerosque sine persecutione auro rebusque decipit. Ausus quoque inter cætera hæresis suæ contagia catholicos rebaptizare*; et alia quæ longum esset recensere. Eadem habet, suo more, Chronicon Hisp. generale II part., cap. 39. De relegatione episcoporum eodem modo Isidor. in Leovig: *Perfidia furore repletus in catholicos persecutione commota plurimos episcoporum exsilio relegavit, et ecclesiarum redditus et privilegia tulit*. De aliis Gregorius Turon. v, c. 38, hist. Franc. *Magna eo anno in Hispania persecutio fuit Christianis, multi exsilio damnati, facultatibus privati, ac diversis suppliciis trucidati sunt*. Consentientibus Biclarensi, Maximo, aliis.

<sup>e</sup> *Equumque ferocem*. Rem distinctius enarrat Morales, Marian., Padilla.



ascenderet, pararetur, rex crudelissimus per fenestram eminus palatii respiciens, exspectabat ut ei vir sanctus de equo casurus ingens spectaculum præberet; statimque <sup>a</sup> in nomine Domini edito vexillo crucis, sanctissimos sacerdotes ascendit equum ferocem quem ei Dominus velut agnum mansuetissimum reddidit; cœpit namque cum omni mansuetudine et cautela itineris sui pergere viam, qui paulo ante immenso flatu et fremitu incessanti totius corporis notu, quasi despiciendo alium ferre, recusabat. Cumque hoc miraculum omnes cernerent, obstupescerent, valde admirati sunt, nam et ipse rex magna concussus [Al., conversus] est admiratione; sed quid cæco prodesse poterat iubar splendidissimum solis, cujus arcana omni opere offuscaverat sævissimus hostis?

### CAPUT XIII.

*Neposis pseudoepiscopus Arianus Emerita substitutus; Massona vero in monasterio per triennium exsul miraculis claret.*

Igitur sanctus vir Dei, antistes Massona tribus tantum de suis comitantibus pueris ad locum <sup>b</sup> destinatum pervenit, cum quibus eum mox homines punituri, qui a Rege missi fuerant, exsilio in monasterio relegaverunt; cujus relegatio fuit summa sublimitas, contumelia perspicua sanctitas, peregrinatio immensa felicitas. Post hæc subrogatur ei pseudosacerdos <sup>c</sup> Neposis nomine, ac in locum viri Dei in Emeritensem urbem substituitur; homo namque profanus, servus sane diaboli, angelus Satanæ, prænuntius antichristi, et hic alienæ civitatis erat episcopus: sed quoniam vir Dei crescebat virtutibus copiosis, e contra ille scædabatur actibus nefandis. Cum jam per annos tres et eo amplius beatam vitam beatus degeret vir Massona, multisque ibi præpolleret virtutibus, omnia quæ ibidem suis usibus suorumque famulorum, habere poterat necessaria, pauperibus erogavit, cumque pene nihil remansisset quod largiri deberet, quæ iam vidua pauperula, quæ multis obsita ærumnis ad eum stipem flagitans advenit; cum vero vir Dei, qui jam omnia in opus simile consumpserat, magnopere inquireret quid ei impertiret, quia mi-

<sup>a</sup> In nomine Domini edito vexillo crucis. Sic appellat crucem Ambr. de obitu Theodos., *vexillum divinum*: sic Ecclesia in hymn., sic alii. De usu signandi frontem cruce antiquissimo ad quoscunque actus Tertull. III et IV de Coron. mil.; Cyrill. Hierosolym., catechesi 13; omnes fere PP.: nam ex consilio Hieronymi ad Eustochium, *ad omnem actum, et ad omnem incensum manus pingat crucem*, quidni ad pericula? Exemplis confirmat huic non absimilibus vir piissimus et doctiss. Alanus Copus dial. IV, a cap. 6, adversus Centuriatores.

<sup>b</sup> Ad locum destinatum pervenit. Ubi hic olim fuerit locus, fatentur se nescire Moral. et Padill. M. Maximus ad ann. 586 Complutum signa e dicit, *Massona, qui Compluti exsulabat, valde dolet de morte S. martyris et principis (Hermenegildi)*.

<sup>c</sup> Neposis nomine. Quem *Nepotianum* vocat Maxim. ad ann. 581 vid. 2 ad cap. 9 notata.

<sup>d</sup> Unum solidum. Hispanis *sueldo*, cujus valorem ipse Paulus non multo post explicat, cum ait Sagatum petiisse a femina de ipso quod *fenerabatur saltem vel unum tremissem redderet*, etc. *Quæ statim unum*

nime reperiret; cœpit pueros qui cum eo erant deposcere ut si aliquis eorum aliquid haberet, ei fideliter præentaret, quod jam dictæ mulierculæ trileret; e quibus unus nomine Sagatus, qui præerat cæteris, respondit dicens: Habeo quidem <sup>d</sup> unum solidum, sed, si de iero, nihil omnino, unde nobis vel bestiunculæ nostræ in postmodum emamus, habebimus. Quem vir Domini sine aliqua hæsitatione, ut integrum daret nihilque sibi ex eo reservaret, præcepit, non ambigens sibi Dominum adfuturum, qui illi omnia bona protinus subministraret: quod cum jussioni ejus obtemperans mulieri ipsum solidum dedisset, post pusillum prædictus Sagatus ad eandem mulierem cucurrit, eamque deprecatus est ut quia non erat unde sibi victum emeret, et de ipso quod

<sup>B</sup> fenerabatur, saltem vel unum tremissem redderet, unde suæ necessitati consuleret: quem [Fort. quæ] statim unum absque mœstitia reddidit, duos vero secum jucunda mente portavit: nec mora, et ecce subito ante fores monasterii reperti sunt ducenti asini onusti stantes, qui missi cum alimoniis diversis ad eundem virum a diversis viris catholicis fuerant; quod cum viro Dei fuisset nuntiatum, et ab his qui venerant esset oblatum, omnipotenti Deo immensas referens gratias, illico præcepit accersiri Sagatum; qui cum venisset, ait ad eum vir Dei: *Quantam dedisti mulieri elemosynam poscenti? At ille respondit: Secundum imperium tuum, solidum, quem habui, integrum dedi, sed quia urgebat necessitas, unum ab ea tremissem postea accepi. Et vir Domini dixit: Indulgeat tibi Dominus, frater, quia ambiguum exististi, et de miseratione Domini desperasti; insuper et in multos pauperes peccasti; <sup>e</sup> duos tremisses dedisti, ecce duo millia solidos, et ducentos asinos oneratos multis alimentis accepisti; nam et si tertium tremissem non abstulisses, proculdubio trecentos asinos onustos accepisses: qui deinde gratias agens, atque gratiam benedictionis suæ pro gratiarum actione reddens, cunctos qui ei requisierant, sacris elogiis simul et epistolis similiter refecit: ille vero confestum pene cuncta quæ illi directa fuerant pauperibus erogavit.*

*reddidit, duos autem secum jucunda mente portavit. Tribus itaque tremissibus solidus tunc constabat. Sed vid. o* (dicam verbis magni Marianæ, amici heu! olim mei inter primos primi, cap. 8 de pond. et mens.) *solidos (sic nostra conjectura est) eosdem progressu temporis imminutos, eo amplius quod minor copia argenti et auri erat, et imminuto tamen pondere relentis nominibus pristinum valorem mansisse, ut solidus argenteus duodecim asses valeret, aureus duodecim denarios. Quod vulgo hodie retinetur, ut solidus, æreus quamvis ferme facius contineat denarios duodecim, ubicunque solidorum est usus, in quo a maravedino differt, qui decem tantum denarios valebat. Sed sexta parte solidus æreum maravedinum æreum, argenteus solidus maravedinum argenteum, aureum superare debuit. Qui plura de nostris solidis velit, adeat gentilis nostri illustriss. Hispaniarum genatus maximi præsidis, a nullo unquam sine laude nominati D. Didaci de Covarruvias a Leiva eruditissimum lib. de veterum Collatione numism. cum iis quæ hodie sunt in usu.*

<sup>e</sup> *Duos tremisses dedisti, ecce duo mill. solidos.*

## CAPUT XIV.

A

*Leovigildus rex percussus a sancta Eulalia Massonam restituit ecclesie Emeritensi.*

Post aliquot vero dies cum in basilicam ipsius monasterii gratia orationis intrasset, subito super altare ejusdem sancte basilice sacratissima virgo Eulalia in columbae specie nivei candoris apparuit, eumque blande alloquens (utpote piissima domina), fidelissimum dignata est consolari servum; deinde ait ad eum: Ecce jam tempus est ut, ad tuam regrediens civitatem, pristinum mihi debeas exhibere servitium; et haec dicens alacri volatu ab oculis suis evanuit. Vir itaque Dei, licet tantae visionis tantaeque consolationis gratia exsultaret, flere nimium coepit, quod quietem paupertatis et peregrinationis suae amittens, ad turbines et procellas mundiales revertetur, non illi quippe ambiguum erat id quod audierat confestim esse adimplendum; tunc deinde nulla intercurrente mora, <sup>a</sup> praefata gloriosa virgo injurias servi sui severissima vindicavit ultione. Denique nocte quadam recubanti in strato suo impio Leovigildo tyranno astiuit, ei que flagris diu multumque utraque latera verberavit, dicens: Redde mihi servum meum, nam, si moram feceris, scito te acrioribus supplicii cruciandum: ita nimirum flagellatus est miser, ut expergefactus cum fletu magno cunctis sibi assistentibus tot illatos ostendit livores, et idcirco clamitans se fuisse flagellatum, quod sanctissimo episcopo injurias irrogasset; nam quis ei verbera intulerit, nomen, habitum, vultusque venustatem sigillatim pandit; et omnia magnis cum ejulatibus manifestissime propalavit; illico namque veritus ne <sup>b</sup> graviore supplicio mulctaretur, ut erat in omnibus rebus simulator pessimus, ac dissimulator facillimus, pietate simulata praecipit ut vir Dei, qui frustra fuerat a civitate sua remotus, rursus ad suam accederet regendam Ecclesiam, qui dum ea, quae insanus rex postulabat, minus annueret sanctissimus vir Massona, seseque permansurum ubi relegatus fuerat assereret; iterumque oblati precibus poposcit, ut ad suam dignaretur redire civitatem: pietas quippe summi Dei statim sincerum pectus emollivit, ac benevolentia copiosa viam suo famulo aperuit ut regrederetur. Cum vero Deo jam opitulante regrederetur, precibus muneribusque eum propitium crudelissimus rex nitebatur efficere, quem dudum fraudis relegaverat damnatione: ille autem munera respuit, dona abnuuit; facinus perpetratum animo clementi laxavit, et juxta sententiam <sup>c</sup> Domini culpas debentium non retinuit, sed dimisit.

*accepisti; nam si tertium tremissem non abstulisses, procul dubio trecenos accepisses.* Ex liberali, nimirum certaue Christi promissione Matth. xix, 29, et Marc. x, 30.

<sup>a</sup> *Praefata gloriosa virgo injurias servi sui severissima vindicavit ultione,* etc. Non semel Eulalia Emeritensis urbis et Ecclesiae tutelaris utramque a tyrannide hostili liberavit. Isidorus in Chron. Gothor. ad ann. 491: *Theudoricus de Gallacia in Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem urbem depredari moliretur, beatissima Eulaliae martyris terretur ostentis*

## CAPUT XV.

*Fugiente Nepopi pseudoepiscopo, Massona res Ecclesiae recuperat.*

Dehinc cum maximo comitatu de loco quo relegatus fuerat ad Emeritensem urbem reversus est; cujus dum regressum Nepopis, qui eidem fuerat subrogatus, audivisset, terrore divino subito exterritus ad propriam urbem, in qua antea fuerat episcopus, fugere nitebatur, prius tamen quam abiret, argentum copiosum, et ornamenta insignia, et quaeque meliora vidit in Emeritensi ecclesia, plaustris plurimis oneratis per homines Emeritensis Ecclesiae clam nocturno tempore ad suam civitatem fraudulenter immisit; ipse videlicet Nepopis infeliciter ab omni clero vel populo pulsus ab Emerita ad civitatem suam festinus porrexit, ac ne eum vir Dei Massona in sua Ecclesia inveniret, et cum omni ignominia pelleret, quantocius egredi festinavit. Cumque prior ipse cum paucis sociis fugeret, post ipsum cuncti ad eum pertinentissima urbe ignominiose egressi, dispersi conturbatique, ac per diversa palantes ad propriam tendebant civitatem. Cumque haec agerentur, nutu Dei meritisque sanctae Eulaliae contigit eodem die subito sanctum Massonam cum infinita multitudine per ipsam viam egredi ad Emeritam civitatem per quam plaustra rebus ejus onusta properabant; cui dum in ipso itinere haud procul ab urbe obviassent, vir sanctus sciscitari praecipit cujus essent homines vel plaustra. At illi cognoscentes proprium Dominum, gaudio magno repleti responderunt: Servi tui sumus, domine. Quos ille denuo, quid in plaustris ferrent interrogavit; illi autem dixerunt: Res sanctae Ecclesiae et tuas, quas hostilis praedo Nepopis praedavit, portavit, et ipsi infelices in captivitatem pergitur separati a rebus, et illis, nostrisque uxoribus, <sup>a</sup> patria, in qua nati sumus, expulsi. Quod cum vir Domini audivisset, magno gaudio repletus ait: Gratias tibi, Domine Jesu bone, refero, quia magna est multitudo dulcedinis tuae, qui tantam in omnibus pro tuis, licet indignis, servis curam gerere dignatus es; et ut nos ab omnibus malis ereptos prospere reduceres, et res tuas ditioni inimicorum minime traderes. Et haec dicens, cunctos ad civitatem suam revocare praecipit, ac sic cum immenso gaudio gaudentibus cunctis ad urbem pervenit, et sicut quispiam sitiens in ardore <sup>d</sup> caumatis fluentia fontium concupiscit, sic ille ad basilicam sanctae Eulaliae animo ferventi frequentique spiritu, adjuvante Deo, pervenire meruit, cumque ibidem toto mentis affectu desiderii sui accumulasset effectum, exsultans in Domino exsul-

*tis: mox adversis sibi nuntiis territus de Emerita egressus Gallias repetit,* etc. Vid. Roderic. Tolet. u, cap. 9.

<sup>b</sup> *Graviore supplicio.* Sic legendum reor, non ne gravius de judicio mulctaretur, ut in exemplaribus legitur.

<sup>c</sup> *Juxta sententiam Domini.* Apud Matth. vi, 12.

<sup>d</sup> *In ardore caumatis.* καύμα aestus et solis fervor est: amant ejuscemodi vocibus scriptores saeculi barbarici, quasi gemmis, uti. Exemplis confirmare, otio et tempore abuti erit.

tantibus universis urbem ingressus est. Ita nimirum A Ecclesia Emeritensis exsultans cum summa jucunditate suum gubernatorem recepit : gaudebat enim quod reperisset ægrotus medelam, solatium quod invenisset oppressus, alimentum quod non deesset egeno. Quid multa? reddita sunt a Domino Emeritensi ecclesie copiosa suffragia; nam calamitatum penurias, et crebras pestilentie clades, insolentesque totius urbis procellas sancti viri presentie, Domino miserante, suspendit, quos indubie remoto pastore causa ejus absentie oppressit.

## CAPUT XVI.

*Leovigildo regi in hæresi mortuo Reccaredus filius catholicus successit.*

Igitur cum non præset, sed obsessus, magis perderet quam regeret Leovigildus Hispaniam, nec quidpiam de flagitiis vel facinoribus remaneret quod non proprium sibi defenderet, deserens usquequaque Deum, imo derelictus ipse a Deo, a regnum simul cum vita infeliciter perdidit, gravissimoque morbo Dei judicio correptus, vitam fœdissimam amisit, et mortem sibi perpetuam acquisivit, crudeliterque e corpore ejus anima resoluta, perpetuis pœnis detenta perenniter Erebi mancipata tartaris non immerito relegata tenetur, picibus arsura semper bullientibus undis. <sup>b</sup> Post cujus crudelissimam mortem venerabilis vir Reccaredus princeps filius ejus, jure administrationem regni adeptus est, meritoque ad culmen sibi debitum principatus evectus est, præcipuis meritis legitime solemniterque regale culmen, tribuente C Leō, promeruit; vir denique orthodoxus, et per

<sup>a</sup> Regnum simul cum vita infeliciter perdidit. Leovigildus; de cujus penitentia et vera publicaque errorum abjuratione dubitant cum nostro scriptore et Gregorio Magno lib. III Dial., cap. 31, alii etiam nostri. Pro illo tamen stant Gregorius alter Turo-nensis. VIII Hist. Franc., cap. ult., et M. Maxim. ad ann. 585, qui ejus penitentiam lacrymasque notavit, ut de se ipse fatetur.

<sup>b</sup> Post cujus crudeliss. mortem Reccaredus... administrationem regni adeptus est, qui non patrem perfidum, sed Christum secutus ab Ariana hæreseos pravitate conversus est, totamque Wisigothor. gentem mira prædicatione ad veram fidem reduxit. Omnino hæc ex Gregorio Magno III Dial., cap. 31, sumpsit Paulus; nam hæc ille, Post ejus mortem Reccaredus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem secutus, ab Ariana pravitate conversus, totam quoque Wisigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, etc. Vid. D euind. lib. I, epist. ad Leand. 41, et Roder. Tolet. II, c. 25, necnon ipsius Reccaredi allocutionem ad PP. concilii Tol. III, et epist. 126. lib. VII Regist. Gregor. ad ipsum Reccaredum (non Necharedum, ut in Parisiensi editione ann. 1586 legitur) reg. Wisigothor., et 41, lib. I, et 125, lib. VII ad D. Leandrum.

<sup>c</sup> Sanctam Trinitatem, coeternam uniusque virtutis et substantie prædicans, atque in personarum proprietate distinguens, in natura unum Deum affirmans, Patrem ingenitum dicens, Filium ex Patre genitum astruens, Spiritum vero sanctum ex utroque procedere credens, etc. Distincte ipse Reccaredus initio concilii Tolet. III: *Quemadmodum per Scripturas sacras seipsum intelligi (Dominus Deus) voluit et credi præcepit, id est ut confiteamur esse Patrem, qui genuerit ex sua substantia Filium sibi coequalem et coeternum, non tamen ut ipse idem sit natus et genitor; sed persona alius sit Pater qui genuit, alius sit Filius qui*

omnia catholicus, qui non patrem perfidum, sed Christum Dominum sequens ab Ariana hæreseos pravitate conversus est, totamque Wisigothorum gentem mira prædicatione ad veram fidem perduxit: erat enim religionis divinæ assertor, rectæ gloriæ prædicator et defensor, omnimodis catholicam fidem et sanctamque Trinitatem coeternam et unius virtutis et substantie prædicans, atque in personarum proprietate distinguens, in natura unum Deum affirmans, Patrem ingenitum dicens, Filium ex Patre genitum astruens, Spiritum vero sanctum ex utroque procedere credens. His videlicet virtutibus ornatus cœpit omnes quos charos Deo sentiebat diligere, horrere omnino et execrari omnes quos Deo cognoscebat odibiles, atque hæreticorum nefandæ impietatis condemnare errorem; quod dum instanter fieret, et multa catholicæ Ecclesie favente Deo tranquillitas redderetur, et Ariana calamitatis error ab omnibus pene mentibus discuteretur, et cunctis simultatibus pulsus urbs Emerita una cum <sup>d</sup> sancto Massona episcopo pro tantæ tranquillitatis gratia congauderet, et Domino indesinenter gratias referret; rursus antiquus hostis invidia assueta incitatus, rediviva Dei famulo per suos ministros intulit prælia.

## CAPUT XVII.

*Sunnae pseudoepiscopi fraude cum a Witterico comite Massona gladio peteretur, miraculo liberatus.*

Sunna namque Gothicus episcopus, cujus supra memoriam fecimus, irritatus a diabolo, quosdam Gothos nobiles genere opibusque ditissimos, e quibus etiam nonnulli <sup>e</sup> in quibusdam civitatibus comi-

fuerit generatus; unius tamen uterque substantie divinitate subsistat. Pater ex quo sit Filius: ipse vero ex nullo sit alio: Filius qui habeat Patrem; sed sine initio, et sine diminutione in ea, qua Patri coequalis et coeternus est, divinitate subsistat. Spiritus arguo sanctus confitendus a nobis et prædicandus est, a Patre et a Filio procedere, et cum Patre et Filio unius esse substantie. Tertiam vero in Trinitate Spiritus sancti esse personam, qui tamen communem habeat cum Patre et Filio divinitatis essentiam. Hæc enim sancta Trinitas unus est Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus; cujus bonitate omnis licet bona sit condita creatura, per assumptam tamen a Filio humani habitus formam, a damnato proque reformamur ad beatitudinem pristinam. Et post hanc veræ fidei formulam addit. Proinde anathematizo Arium cum omnibus dogmatibus et complicitibus suis, qui unigenitum Dei Filium a paterna degenerem asseverant esse substantia; nec a Patre genitum, sed ex nihilo dicebunt esse creatum, etc. Amplector itaque et teneo fidem Cl. episc. Constantinopoli congregatorum, quæ Macedonium, Spiritus sancti substantiam minorantem, et a Patris et Filii unitate et essentia segregantem, jugulo veritatis interemit. Hæc de se ille. Adibis Scholasticorum coryphæum Gab. Vazquez, tom. II, in I part., a disp. 127 ad 171, si ingeniosis, eruditis et exquisitis caperis.

<sup>d</sup> S. Massona episc. Cui etiam M. Maximus filium Reccaredum commendatum a patre moriente tradidit, ad ann. 587. Rex morti proximus commendat in testamento suo se, regnum et Reccaredum filium Massonæ, Leandro Fulgentioque exsulibus, quos filio mundat suppliciter statim ab exilio revocari.

<sup>e</sup> In quibusdam civitatibus comites a rege constituti. Comites etiam Romanorum tempore provinciarum et urbium gubernatores appellari attestatur Tit. Qui

tes a rege fuerant constituti, consilio diabolico per-  
suasit, eosque de catholicorum agmine ac gremio  
catholicæ Ecclesiæ cum innumerabili multitudine  
populi separavit, et <sup>a</sup> contra famulum Dei Massonam  
episcopum fraudulenta consilia, qualiter eum inter-  
ficere, commentari. Tunc deinde ad eum pueros  
suos misit, et quasi ex affectu charitatis ad domum  
suam pro eisdem venire rogavit, ut ibidem virum  
Dei crudelissima morte perimeret; qui cum venis-  
sent, eique suggestissent, mox vir Dei spiritu Dei  
repletus, consilium eorum intellexit, et statim ait:  
Ego illuc abire modo minime possum, quia est, quod  
pro utilitatibus catholicæ Ecclesiæ disponere debeam;  
at si me desiderat videre, huc in atrium Ecclesiæ  
veniat, et quemadmodum vult, ita me videbit: ii  
vero qui missi fuerant redeuntes ea quæ audierunt  
renuntiaverunt, cumque hæc audivisset, supradictos  
comites, cum quibus sanctum virum interficere dis-  
ponebat, ad domum suam protinus ascit, eisque ut  
ad atrium una cum eo pergerent dixit; ita tamen  
cum eis prius definivit, ut dum atrium introirent,  
unus ex illis, cui <sup>b</sup> Wittericus nomen erat, <sup>c</sup> qui  
etiam post rex Gothorum fuit exempto gladio in  
beatissimum virum uno ictu transverberaret, ut  
secundo opus non esset. Cum autem huiusmodi con-  
silio jam dictum Wittericum informasset, ad atrium  
sancti episcopi uno animo eademque sententia  
omnes simul perrexerunt; qui cum venissent et illico  
ingredi voluissent, prohibiti sunt, et ut paulisper  
pro foribus expectarent admoniti sunt, quoadusque  
sanctus Massona ad <sup>d</sup> Claudium virum clarissimum,  
ducem Emeritensis civitatis mitteret, ut eo presente  
se mutuis alternisque cerneret aspectibus. Idem  
vero Claudius nobili genere ortus, Romanis fuit  
parentibus progenitus; existebat prorsus fide catholi-  
cus, et religionis vinculis fortiter astrictus, in præliis  
strenuus, in timore Dei valde promptissimus, in  
bellica studia eruditus, in causis (*Fort. ausis*) belli-  
cis nihilominus exercitatus; cumque eidem nuntia-  
tum fuisset, quia domus ejus valde contigua erat

*provincias r. gunt* lib. II, C. tit. 14. De Wisigothis,  
ipsorum legum Codex non semel civitatis comitem  
vocat arg. 3. Tit. 4 lib. XVII, qualis Waldricus comes  
*Toleranæ civitatis*, qui concil. Tolet. III subscripsit;  
cujus moris vestigia etiam apud Misti-Arabes Mauris  
rerum potentibus remansisse testis est *Servandus*  
*comes* apud Sampsonem abbatem Cordubensem eodem  
tempore præfat. lib. II Apolog. Hinc initio tracta  
consuetudo apud reges nostros comites eligendi,  
quæ nimium jam excrevit, quæque notior est quam  
ut hic repeti debeat.

<sup>a</sup> *Contra famulum Dei Mass. episc. fraudulenta*  
*consilia*. Rem accurate narrant Moral. lib. XII, cap. 2;  
Padilla cent. VI, cap. 53, et Mariana lib. V, cap. 14,  
mutatis tamen a Paulo verbis.

<sup>b</sup> *Wittericus*. Sic ex nummis quos habeo lego, etiam  
si in aliis *Witricus* et *Vitricus* distincte, sed cor-  
rupte legatur.

<sup>c</sup> *Qui post etiam rex Goth. fuit*. Post Liwam Rec-  
caredi filium, quem in primo flore adolescentiæ Witte-  
ricus sumpta tyrannide innocuum regno dejecit, præci-  
sique ejus dextera occidit, teste Isidoro ann. 614  
Chron. Gothor.

<sup>d</sup> *Ad Claudium V. Cl. ducem Emeritensis civitatis*.  
Paulus Emilii in Ch. reberto de Longino, qui Ra-

atrio, mox cum ingenti multitudine perspicaciter  
properans adfuit, idemque cum vir illustris Claudius  
atrium introisset, protinus et illi, qui supra memo-  
rati sunt, cum ingentibus catervis populi introierunt,  
ac deinde salutato viro ex more resederunt; cumque  
diu, multumque residentes ad invicem loquerentur,  
idem jam dictus Wittericus, juvenis fortissimus, stans  
post scapulam egregii viri Claudii ducis, ut pote ju-  
venior adhuc ætate, reddens obsequium seniori, inno-  
nutritori suo; gladium quo accinctus erat toto nisu  
e vagina sua educere maluit, ut sanctum Massonam si-  
mulque et Claudium (secundum quod definitum fuerat)  
trucidaret; sed nutu Dei ita gladius in vagina astrictus  
est, ut putaretur clavis ferreis cum ea fuisse confixum,  
cumque diu multumque ense educere voluisset, et  
omnino non valuisset, cœperunt auctores hujus pravi  
consilii tacite admirari cur Wittericus quod fuerat pol-  
licitus minime adimpleret, eumque subtiliter oculis in-  
tuentes magis magisque hortabantur ut tantum nefas et  
tam immane piaculum incunctanter patrare deberet  
[*An auderet?*] et prædictos viros gladio animadver-  
tenti nullatenus formidaret; ad quorum itaque crudelissi-  
mam exhortationem iterum atque iterum <sup>a</sup> spatham  
suam e vagina totis viribus educere voluit, sed nua-  
quam potuit; cumque hoc supradictus juvenis cerne-  
ret, sensit divino munere gladium fuisse astrictum,  
ut quem semper suis usibus aptum habebat, tunc mi-  
nime educere potuit, et hic in stuporem nimium  
conversus expalluit; auctores vero hujus nefandi ace-  
leris, ut viderunt <sup>f</sup> concinnationes sui nequissimi  
consilii divino judicio fuisse frustratas, illico sur-  
rexerunt, ac valefacientes ad domos suas cum ama-  
ritudine redierunt.

## CAPUT XV. II.

*Iterum Massona liberatur ab insidiis Sunnæ ope Clau-  
dii ducis Emeritensis; Sunna pertinax et exul  
obiit in Mauritania; Vacrila socius criminis fit  
mancipium Ecclesiæ.*

Illisque reversis Wittericus cum eis minime abiit,

*vennæ more Gothorum sedem sibi legit, suum cuique  
urbi magistratum dedit, qui duces vocitabantur*. Nam  
apud Gothos inter præcipuos palatinos dux; sic Wam-  
bætempore Paulus dux Narbonensis apud Tulensem  
et Rudericum episcop. et Reccaredi Claudius Eme-  
ritensis urbs apud nostrum. Vid. quæ ad cap. 19  
dicam.

<sup>a</sup> *Spatham*. Qua Wittericus, ut comes, ex præ-  
scripto legum Gothicarum debebat esse instructus.  
Lib. IX, tit. 2, leg. ult. Wiseg., *dux, comes, atque  
gardingus, etc., scutis, spathis, seranis, lanceis, sa-  
gittisque sint instructi*. Sunt qui Latine vocem putent  
apud Isid. XVII. Orig. 6, *eo quod spatiosa sit*, hoc  
est, *lata et ampla*: qua utatur Vegetius lib. II, cap.  
15, et III, cap. 14; Apuleius I et X miles. Spartian. in  
Adrian.; Claudius epistola ad Eborum apud Trebell.  
Pollion.; alii. Hinc Hispani *t in d* commutato, et ante  
*se addito*, nostro more, *espada* dicimus nunc; olimque  
Isidor. ibid.: *Frænea vero gladius ex utraque  
parte acutus, quam vulgo spatam vocant*.

<sup>f</sup> *Concinnationes sui nequissimi consilii*. Sic in sa-  
cris. Psalm. XLIX, 19: *Lingua tua concinnabat dolos*,  
et LVII, 3: *Injustitias manus vestra concinnant*: Isaiæ  
XXXII, 7: *Ipse enim cogitationes concinnavit ut per-  
dendum ruitis in sermone mendaci*.

sed statim tremebundus ad pedes viri sanctissimi **A** cum similiter episcopum nihil horum opinantem Massonæ episcopi corruit, omneque consilium prodidit, et quemadmodum eum percutere voluerat, nec gladium educere valuerat, sinceriter enarravit; post hæc cum lacrymis ait: Confiteor peccatum meum, quia tota intentione hoc malum perpetrare volui, sed non me permisit Deus; et adjecit: nam et alii adversus te disposuerunt consilium, ut quia dum in atrium modo non prævaluerunt, saltem in diem sacratissimum Paschæ prævaleant: hanc vero dispositionem habent, ut cum ex more Paschæ Missam celebraveritis in ecclesia seniore, post missam (juxta quod mos est) ad basilicam S. Eulaliæ ps. l. lendo cum omni populo catholico processeritis, homines eorum ad portam civitatis cum multis plaustris onustis gladiis, et vectibus dissimulata caliditate, quasi frumenta deferant, statuti sunt, cumque vos inermes simpliciter processeritis, omnis eorum repleta super vos irruat multitudo, arreptisque gladiis vel fustibus omnes pariter viros ac mulieres, senes et parvulos, crudeli morte interimant. Ego vero infelix, qui me in tantum facinus miscui, a te piissimo domino indulgentiam peto, et ut mihi tuis precibus veniam Dominus tribuat precor; omnia eorum quæ novi fideliter suggero, et purissime manifesto, et ecce in manibus vestris sum, facite in me quod bonum est, et rectum videtur in oculis vestris; ac ne forsitan me tua sanctitas fallacem aut illusorem existimet, non me permittas egredi, sed in custodia qua jubeas trade, donec omnia strenue perquiras, aut certissime cognoscas, et, si me mentientem aliter repereris, nolo vivere. Cum hæc vir Domini Massona, qui semper virtute pietatis enituit, audisset, eum ut nihil omnino metueret blande admonuit; gratias omnipotenti Deo egit, qui servos suos de tantis periculis liberavit, ac deinde ad Claudium ducem misit, eique omnia intimavit. Quod cum ille audivisset, præcepit ut causa paululum silentio tegetetur, si forsitan cognoscere proditum fuisse eorum consilium, fugam arriperent, sed dum sagaciter investigavit, manifestissime reperit fuisse verum quod fuerat nuntiatum. Cumque ea quæ exposuerant comites supradicti Ariani præbuisent, ex more in occursum disposita circumquaque multitudo in insidiis, repente super eos dux irruit Claudius, et alii ex eis capti sunt, alii vero qui gladiis operari voluerunt, gladio statim perierunt; tunc deinde ad domum **b** Sunnonis Ariani episcopi cum ingenti multitudine dux Claudius perrexit, ipsumque hereti-

comprehendit, eumque ardue custodiendum S. Massonæ episcopo delegavit, similique modo universos collegas ejus custodiæ mancipavit, Wittericum vero, qui nefandorum consilium manifestavit, liberum abire præcepit; et omnia igitur quæ fuerant gesta orthodoxo principi Reccaredo Claudius dux intimavit, atque ut porrecta confestim decreti clementia ei præciperet quid de hostibus Domini Jesu Christi fieri deberet, suggestit. Rex vero hujusmodi suggestionem accipiens, talem dedit sententiam: Ut cuncti, omnibus patrimoniis vel honoribus privati, exsilio multis vinculis ferreis constricti legarentur; Sunnam vero pseudoepiscopum exhortarentur converti ad fidem catholicam: et, si converteretur, tunc demum ei præciperet ut pœnitentiam ageret, et satisfactione lacrymarum sua delicta defleret, ut acta pœnitentia, cum eum jam agnoscerent perfectum esse catholicum, eum postmodum in quacunque alia civitate ordinarent episcopum. Cumque ei crebro dicerent ut pœnitentiam tantis pro piaculis ageret, et furorem Domini, quem delinquendo excitaverat, dellendo mitigaret; quod agere noluit; sed pœnitentiam non omittens tyrannidem, hæc respondit: Ego quid sit pœnitentia ignoro, ob hoc compertum sit vobis, quia pœnitentiam nescio, et catholicus nunquam ero, sed eo ritu quo vixi vivam, aut pro religione in qua nunc ab incunte ætate mea permansi libentissime moriar. Cujus dum mentem obstinatam pertinacemque in malis cernerent, hunc protinus de finibus **C** Hispaniæ, ne alios pestifero morbo macularet, cum summo dedecore infeliciter pepulerunt, atque eum modicam supra naviculam ignominiose imposuerunt, eique comminantes præceperunt, ut in quemcunque locum vel regionem transire vellet, liberum haberet arbitrium, quocumque vero tempore in Hispania fuisset repertus, graviore se cognosceret mulctandum sententia. Tunc deinde navigans Mauritaniam regionis contingit littus, atque in eadem provincia aliquando commoratus, multos perfidia impij dogmatis maculavit; deinde protinus Averno mulctatus judicio, crudeli exitu vitam finivit. Basilicas vero, quibus S. Massona dudum injuste caruerat, juste cum omnibus privilegiis recipere meruit, et omne patrimonium supradicti hæretici concedente **c** clementissimo principe Reccaredo adeptus est: cæteros vero scelestos (quos supra memoravimus) juxta præceptum regis exsilio relegarunt: e quibus unus vocitabatur **d** Vacrila, de eorum manibus evadens ad basilicam S. Eulaliæ ob remedium percipiendum confugit. Quod

<sup>a</sup> *Tua sanctitas.* Compellatio sacerdotibus propria etiam apud ethnicos, teste Plutarcho ad calcem lib. de Defect. oracul. Vid. quæ ad Dextrum ipso initio nota.

<sup>b</sup> *Sunnonis Ariani.* Quem Sunnam semper Paulus dicit. Anne hic Simonem ex Sunna de industria scriptor noster continxit, et ad illum, qui

. . . . Fidens animi, atque in utrumque paratus  
Seu versare dolos, seu certe o. cubere morti,

apud divinum vatem, in operis ætæra, Trojani im-

perii ruina fuit? An *Sunnanis* legendum, Gothica declinatione, ut Wambanis, Egicanis, Chintilanis, Suintilanis, et id genus aliorum.

<sup>c</sup> *Clementiss. principe Reccaredo.* Ob insignem hanc Reccaredi regis in rebelles clementiam nummus aureus cusus est cum ipsius effigie et nomine hisce litteris RECCAREDO. EMERITA. Pius, ut putat Moral. lib. xii, cap. 2.

<sup>d</sup> *Vacrila.* De quo idem Moral. ibid. et Marian. lib. v, cap. 2.

dum principi Reccaredo supradictus Claudius intima-  
 masset, hoc dixisse fertur: Inimicus summi Dei,  
 miror, cum qua facie atria ejus sancta ingredi præ-  
 sumpserit, ut quem hactenus insanendo frustra per-  
 secutus est, nunc ad eum causa percipiendi remedii  
 confugium facit; sed quia multæ miserationis novi-  
 mus esse Deum, et nullum despiciere, quamvis delin-  
 quentem ad se convertentem ambigimus; ob hoc  
 itaque decernimus, ut ipse Vacrila cum uxore, filiis,  
 et omni patrimonio suo perpetuo sanctissimæ vir-  
 gini Eulaliæ deserviat, nam et hoc præsentis decreto  
 sancimus, et sicut ultimi pueri ante equum domi-  
 norum suorum absque aliquo vehiculi juvamine ambu-  
 lare soliti sunt, ita ante \* caballum domini qui præ-  
 est cellæ sanctæ Eulaliæ ambulare debeat, et omne  
 servitium quod infimum consueverat peragere man-  
 cipium, coram eo deposito cothurno vel fastu cum  
 omni humilitate exhibeat. Accepta igitur sanctus  
 Massona auctoritate eum illico de basilica egredi, et  
 ad suum conspectum venire præcepit, et ut semper  
 visceribus pietatis affluebat, eum blande, ne aliquid  
 jam deinceps formidaret, admonuit, sed, ut jussioni  
 principis obtemperaret, causa obedientiæ de ecclesia  
 S. Eulaliæ usque ad atrium, quod est fundatum infra  
 muros civitatis ante caballum diaconi Redempti  
 pergeret, ordinavit; arreptoque baculo supradicti  
 diaconi manibus gestans ad atrium pervenisset, sta-  
 tim eum liberum abire permisit cum uxore et filiis,  
 et omnibus prædiis suis, hoc solum illi præcipiens,  
 ut omnibus modis <sup>b</sup> catholicam fidem integram im-  
 maculatamque custodiret cunctis diebus vitæ suæ.

\* *Caballum*. De hac voce plura olim pene pueri  
 diximus ad Persii liminare carmen quæ supervacua-  
 neam sit repetere.

<sup>b</sup> *Catholicam fidem integram inviolatamque*, etc.  
 Ad certissimam Athanasiani Symboli amussim. Nam  
 ὅστις ἂν βούληται σωθῆναι, πρὸ πάντων χρὴ κρατεῖν τῆν  
 καθ' ἑαυτὸν πίστιν, ἣν εἰ μὴ εἰς ἕκαστος σώων καὶ ἀμώμω-  
 τον τηρήσῃ, ἂντι δεσταγμοῦ, εἰς τὸν αἰῶνα ἀπολείται.  
 (ex accurata Ecclesiæ Catholicæ receptaque antiqui-  
 tus interpretatione.) *Quicumque vult salvus esse, ante  
 omnia opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi  
 quis integram inviolatamque servaverit, absque dubio  
 in æternum peribit*. Videbis eruditus piissimi ac docti-  
 ssi. Gilb. Genebrardi Not. ad calcem lib. III de SS.  
 Trinit. quæ huc spectant.

<sup>c</sup> *Granista et Wildigernus*. De utroque Moral. XII,  
 cap. 1, et Padill. cent. VI, cap. 52, ex fide Pauli,  
 apud quem tantum horum conuium mentio.

<sup>d</sup> *Ariano episcopo nomine Athaloco*. Gregor. Tu-  
 ron. IX. Franc. 5, a quo multa de Reccaredo, et re-  
 bus illius tempore gestis, habes, *Nuntios mittit ad  
 provinciam Narbonensem, quibus narrantibus ea quæ  
 ille gesserat, simili credulitate populus ille connectere-  
 tur. Erat enim tunc sectæ Arianae episcopus Athaloc-  
 us, qui ita per præpositiones vanas et interpretationes  
 falsas Scripturarum Ecclesias Dei conturbabat, ut puta-  
 retur quod ipse esset Arius, etc.* Errore nimirum et morte.

\* *Vel alii plures*. Ut Sunna, Uldilas episcopi, Gosi-  
 antha regina, Sega comes, et Argimundus dux.  
 Joan. Bi. larensis in Chron.: *Quidam ex Arianis,  
 nempe Sunna episcopus, et Sega cum quibusdam tyran-  
 nidem assumere cupientes, deleguntur: Sunna exsilio  
 mulctatur, Sega manibus amputatis in Gallæciam  
 exsul relegatur. Uldila episcopus cum Gosiantha re-  
 gina insidiantes Reccaredo produntur, et fidei catho-  
 licæ communionem, quam sub specie Christiana quasi  
 sumebant, proficisse publicantur. Quo malo in cogni-*

## CAPUT XIX

*Narbonensis tumultus, Arianorum ab episcopo Atha-  
 loco excitatus, compressus est opera Reccaredi regia.*

Ea igitur tempestate apud Galliarum eximiam ur-  
 bem Narbonam hujuscemodi contra fidem catholicam  
 diabolus excitavit seditionem, cujus causæ seriem  
 enarrare perquam longum est; nam si hoc per or-  
 dinem persequi voluerimus, tragœdiam magis quam  
 historiam texere videbimur, sed breviter summatim-  
 que exiguam particulam enarremus. Duo denique  
 comites, inelyti licet opibus et nobiles genere, pro-  
 fani tamen mentibus et ignobiles moribus <sup>c</sup> Granista  
 videlicet et Wildigerus, cum <sup>d</sup> Ariano episcopo no-  
 mine Athaloco, vel <sup>e</sup> alii plures compares errorum  
 suorum, graviolem in eandem regionem fecerunt  
 turbationem; nam resultantem adversus fidem catho-  
 licam infinitam multitudinem Francorum in Galliis  
 introduxerunt, quatenus vi pravitate Arianae partis  
 vindicarent, et si fieri potuisset, regnum viro catho-  
 lico Reccaredo præriperent; interim per idem tem-  
 pus innumerabilem clericorum, religiosorum, et  
 omnium [Al. hominum] catholicorum interficientes  
 multitudinem, immensam fecerunt stragem; quorum  
 scilicet Salvator noster Jesus Christus animas auro  
 obryzo puriores, omnique lapide pretioso pretiosio-  
 res, velut holocaustomata suscipiens, catervis mar-  
 tyrum in cœlesti sacrario collocavit. Post hæc igitur  
 nulla mora interveniente sublimis atque omnipotens  
 Deus hostibus suis superno brachio repugnans præ-  
 cibus excellentissimi Reccaredi principis sanguinem  
 innocuum ulciscens, <sup>f</sup> romphæali judicio protinus

*tionem hominum deducto Uldila exsilio mulctatur;  
 Gosiuntha catholicis semper infesta, tandem fato concessit.  
 Quidam ex cubiculo ejus et provincie dux, nomine  
 Argimundus, tyrannidem affectans, adversus  
 regem conspirat, ita ut eum, si posset, et regno priva-  
 ret et vita; sed nefandi ejus consilii detecta machina-  
 tione, comprehensus, et vinculis ferreis constrictus,  
 habita quæstione, socii ejus impia molimina confessi,  
 digna sunt ultione interfecti. Ipse vero Argimundus,  
 qui regno inhiabat, primum verberibus cæsus, deinde  
 turpiter decalvatus: post hæc dextera amputata,  
 exemplum omnibus asino insidens Toleti dedit, ne  
 famuli adversus dominos insurgant. Hæc ille ejusdem  
 temporis scriptor.*

<sup>f</sup> *Romphæali judicio protinus de inimicis mirificam  
 fecit ultionem*. Exemplo fuit victoria illa, qua nullam  
 in Hispaniis Gothorum vel majorem vel similem existi-  
 tisse, Isidor. testis est in Chron. ejus gentis. Nam,  
 auctore Joan. Bi. larensis, *Francorum exercitus a Gon-  
 teranno rege missus duce Bassone Galliam Narbonen-  
 sem invasit, et juxta Carcassonam castra posuit. Quos  
 Claudius Lusitaniæ dux a Reccaredo missus in fugam  
 convertit, et, dictu mirum, sexaginta fere hominum  
 millia cum trecentis plus minus militibus partim occi-  
 dit, partim fugavit, dispoliatis ipsorum castris. Isidor.:  
 Francus cum sexaginta fere millibus armatorum copiis  
 irruentibus, misso Claudio duce adversus eos, glorioso  
 triumphavit eventu, etc. Prostrati sunt et capti multa  
 millia, residua pars exercitus in fugam versa, Gothiis  
 post tergum insequentibus usque regni sui finibus cæsa  
 est. Reccaredus hic laudatur in Claudio; et Reccaredi  
 auctoritate Claudii gloria tam longe lateque pervagata  
 est, ut non solum ab scriptoribus celebraretur, sed ab  
 ipso pontifice summo Gregorio Magno eximius laudi-  
 bus extollatur epistola, quam lib. VII Regist. 124  
 legimus, cum hac inscriptione, *Gregorius Claudio in  
 Hispaniis de familiaritate (an familia?) regia Gottho-**

de inimicis mirificam fecit ultionem : denique prostratis consternatisque universis fidei catholice inimicis <sup>a</sup> sanctus Massona episcopus cum omni plebe sua psalmodice canticum exorsus <sup>b</sup> mysticas laudes Domino cecinit, ad aulam almæ virginis Eulaliæ omni cum plebe laudantes, hymnizantesque venerunt ; ac deinde Paschalem solemnitatem omnes cum eo cives jucundissime celebrantes more priscorum per plateas fragore magno jubilantes in gloriam Domini clamaverunt, dicentes : *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est* ; et iterum : *Dextera tua, Domine, glorificata est, in virtute dexteræ manus tuæ confregit inimicos : et præ multitudine majestatis tuæ contrivisti adversarios* (Exod. xv, 1, 6, 7). Post hæc remotis ab omni parte tempestatibus copiosam Dominus populo catholico largiri dignatus est pacem.

## CAPUT XX.

*Massona valde senex factis eleemosynis mortitur, Eleutherio archidiacono ex prædicatione viri sancti præmortuo.*

Sanctus itaque Massona dum multis curriculum annorum adminiculante divino suffragio Emeritensem regeret Ecclesiam, senesque jam nimia senectute in febrim correptus est, cœpitque viribus totius corporis repente destitui ; tunc deinde convocans archidiaconum suum nomine Eleutherium, ait illi : *Cognosce, fili, quod tempus meæ resolutionis instat* (II Tim. iv, 6) : et ideo obsecro te, atque admoneo, ut jam modo ita curam sanctæ Ecclesiæ, totiusque sanctæ congregationis sollicitè geras, ut me in omnibus securum reddas, et mihi liceat in loco secreto mœroris, animi mea, priusquam abeam, delectam delicta. His auditis, jam dictus archidiaconus ejus non infirmitati et senectuti compassus est, non se desolari tanti Patris solatio doluit, sed potius per ejus obitum gaudio magno gavisus est, cor suum lætitia transitorie potestatis inflavit ; ita nimirum ut cum magno comitatu puerorum superbus equo vehente huc illucque properaret : post aliquantis autem diebus accidit, ut sanctus Massona episcopus <sup>c</sup> puerulis, qui ei fidele exhibebant servitium, libertatis chartulas conscriberet, et per confirmandas

rum. Cui inter alia, *Quia unguenti more bonorum frugrat opinio, vestræ gloriæ de Occidentibus partibus hucusque odor tetendit.* Et post pauca, *Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum regi vestra gloria sedulo adherere perhibetur : quia dum malis boni semper displiceant, bonos nos esse certum est, quia bono placuistis. Propterea debitum salutationis alloquium solvens, opto vos in his quæ cœpistis exerceri, etc.* Frequens apud Scriptores nostros de Claudio mentio. Concilio Toletano 72 episcoporum. Hispaniæ et Galliæ Narbonensis subscripsit *Claudius comes Limitaneus et dux* apud M. Maxim. ad ann. 590. Eutrandus sive Luitprandus in Chronico, quod primo evulgavimus, æra 647 illum cum filio celebrat *Flavium Claudius S. Massonæ episcopi Emeritensis ex sorore et Claudii Emeritensis ducis, viri clarissimi filius foret.* Plura habes apud Moral. lib. xii, c. 5 ; Vasæum ad ann. 588 ; Marian. lib. v, cap. 14 ; Padill. cent. vi, cap. 64.

<sup>a</sup> *S. Massona episc. cum omni plebe sua Psalmodicæ canticum exorsus.* Nam cum Claudii Emeritensis ducis fortitudine hæc gesta essent, Emeritæ laudibus oportebat adnumerari ; unde in aureis Reccaredi nummis legimus, RECCAREDES. EMERITA. VICTOR ; etiam

A eorum libertates aliquam particulam pecunie tribueret, aut certe exiguas possessiones conferret : at ubi archidiacono jam dicto nuntiatum est, illico atrium petiit, quemadmodum sanctus episcopus haberet sciscitavit ; cui cum dictum est, quia invalescente languore morti jam jamque propinquaret, statim supradictos puerulos accersivit, et quid illis fuisset veraciter a sancto episcopo illatum requisivit ; cui cum illi veraciter dixissent, excitatus in furia cœpit eis minans turbulenter prætereundere terrores, et dicere : *Videte quod accepistis, bene conservate, nam si omnia mihi intemerata, cum requisiero, non presentaveritis, scitote vos gravissimis suppliciis fore excrucianos ; et his dictis cum furore ad domum suam reversus est.* Tunc deinde supradicti pueri, cellam in qua sanctissimus vir Massona episcopus æger in lectulo recubabat, ingressi, amarissime coram eo flere cœperunt, dicentes : *Miseri cordiam in nos indignos pro tua pietate fecisti, quod utique melius nobis convenerat, si non fecisses, ecce adhuc tu vivis, et tantas nobis minas prætendunt, te defuncto quis e nobis de eorum manibus queat liberare ? Hæc et his similia multa coram eo lacrymabiliter affati sunt ; at ille his auditis non facile credit, sed prius, ut suæ gravitati condecebat, utrum verum an falsum esset quod dicebatur, sagaciter exquisivit : cum autem comperisset verum esse quod audierat, lacrymatus est, statimque in cellulam levare, et ad basilicam sanctæ Eulaliæ virginis (cui semper devota mente servierat) deferri præcepit : cumque ibidem sanctissimus senex pervenisset, coram altari sacro manus expandens, simulque venerabiles oculos cum lacrymis ad cælum sustollens, cum magno gemitu sese in terram prostravit, et preces suas diu multumque in conspectum Domini fudit. Completa vero oratione clara voce cunctis audientibus ait : *Gratias tibi refero, Domine, quoniam exaudisti me, benedictus in sæcula sæculorum, quia non amovisti deprecationem meam, et misericordiam tuam a me : et his dictis ad <sup>d</sup> episcopium rediit, ita nimirum redditus pristino robori, ut putares hunc**

Toletum, imperii Gothici sedes illum triumphantem exegerit. M. Maxim. ad ann. 686 : *Reccaredum e Gallis redeuntem victorem Toletani gratanter excipiunt, læta victori comprecantes.*

<sup>b</sup> *Mysticas laudes Domino cecinit, ... cum plebe laudantes, hymnizantesque.* Crediderim laudes has illis non absimiles, quas in Concil. Tolet. III Patres Reccaredo accinunt : *Tunc acclamatum est in laudibus Dei, et in favorem principis ab universo clero. Gloria Deo P. F. et S. S., cui cura est pacem et unitatem Ecclesiæ suæ sanctæ catholicæ providere... Cui a Deo æternum meritum, nisi vero catholico Reccaredo regi ? Cui a Deo æterna corona nisi vero orthodoxo Reccaredo regi ? Cui præ se gloria et æterna, nisi amator Dei Reccaredo regi ? Ipse novarum plebium in Ecclesia catholica conquisitor ; ipse mereatur veraciter apostolicum meritum, qui apostolicum implevit officium, etc.*

<sup>c</sup> *Puerulis, qui ei fidele exhibebant servitium, libertatis chartulas conscriberet.* Exstat in concil. Spalensi, ær. 628, canon. de *Mancipiis ab episcopis manumissis*, qui huc spectat : et qui Ecclesiæ servi, notum etiam ex concil. Tolet. ix, cap. 12.

<sup>d</sup> *Episcopium.* Quod alibi atrium dicit : nam *ἐπισκοπιον* tabernaculum ipsum et statio episcopi est.

non ægrum, non senem, sed redivivum sumpsisse vigorem, juvenemque esse robustissimum; qui cum ex more <sup>a</sup> ad vespertinum Officium vellet procedere, mirum in modum gaudentibus cunctis; archidiaconus hæc audiens reatu suo oppressus obstupuit, quod audiebat ad vesperam processurum quem putabat eodem die moriturum, confusione et pudore faciei opertus secundum consuetudinem cum omni clero venit, coram episcopo astitit, eique ex more incensum obtulit, cui vir Domini ait: Præcedes me. Illi vero ignorantes causam responderunt: Non pro alio tibi dictum est, nisi quia eum præcedes ad ecclesiam: cumque vespertinum cœpisset implere Officium, statim supradictus archidiaconus gravissimo dolore ibidem in choro psallentium percussus est, ad domumque suam cum gravi ægritudine remeavit, quod dum genitrix ejus sanctissima scilicet femina agnovisset, illico ad venerabilem virum rapidissimo cursu properavit, eumque deprecari cum lacrymis et fletu magno cœpit, ut pro filio ejus oraret ad Dominum. Ad hæc ille tantum respondit: Quod oravi, oravi. Ex hinc die tertia archidiaconus obiit. Sanctus vero Massona episcopus plurimis, quibus superstes fuit diebus, multam eleemosynam egenis impertivit, ac fidelibus famulis majoris gratiæ beneficia conferens, largiora stipendia munerum tribuere est dignatus; <sup>b</sup> deinde senex nimium ætate decrepitu, dierumque multorum, ultimum inter verba orationis cum pace efflavit spiritum.

## CAPUT XXI.

*Post Massonam Innocentius diaconus fit episcopus Emeritensis, et post illum Renovatus, uterque clarus miraculis.*

Post discessum namque supradicti sanctissimi ac venerabilis Massonæ episcopi subrogatur vir summæ humilitatis ac simplicitatis, <sup>c</sup> Innocentius nomine, cujus meritum nominis indicavit vocabulum, innocens utique et simplex, neminem judicans, neminem condemnans, nemini nocens, innocuus semper, et pius cunctis suæ vitæ temporibus existit: qui et eodem

<sup>a</sup> Ad vespertinum officium. Teste Isidor. vi, Orig., 19. Est in noctis initio, vocatum a stella vespere, quæ surgit oriente nocte: de cujus antiquitate et institutione operæ pretium duxi me facturum, si lectorem admonerim, uti adeat notationes doctiss. ac piissimi viri amici nostri D. Antonii Caraccioli ad cap. Constit. Cleric. regul. religionis, quæ magno reip. Christianæ bono Hispaniam novis incrementis incœpit jam beare, coryphæo et duce D. Placido Myrto Frangipane V. Cl. amico etiam nostro, cui Hispania æternum pro tam singulari beneficio erit obnoxia.

<sup>b</sup> Deinde senex nimium ætate decrepitu, dierumque multorum ultimum inter verba orationis cum pace efflavit spiritum. Diem assignat M. Maximus ad an. 642: S. Massona metropolitanus Emeritensis moritur prima die novemb., ut sanctus habetur, et in æde S. Eulaliæ sepelitur. Cujus laudibus non gravabor atterere epigramma e mss. nostris emendatum S. Hildephonsi archiepisc. Tolet. apud Julianum archipresbyterum ejusdem Eccles. cum hac inscriptione:

*Carmen pro S. Leandro et Massona metropolitanis, hoc Emeritensi, illo vero Hispalensi.*

Leander pater excellens, quem suscipit æther  
Laudibus ornatum, conspicuum titulis  
Incus Arianae gentis, medicator et idem

tempore, quo ordinatus est (ut fertur) in ordine diaconorum ultimus habebatur, tantæ denique sanctitatis, tantæ compunctionis fuisse perhibetur, ut quoties pluvia deerat, et æstu nimio terra longa siccitate exarebat, collecti in unum cives loci illius cum eodem per basilicas sanctorum precibus Dominum exorantes pergebant; repente vero, quoties cum eo procedebant, pluvia cœlitus largiflua tribuebatur, quæ plenissime terram satiare potuisset; unde non dubium erat, quod ejus lacrymæ ex tam humili simplici mente editæ apud omnipotentem Dominum, non solum hæc, verum etiam potiora iis obtinere potuissent. Quo etiam defuncto <sup>d</sup> Renovatus sacerdotii culmen cunctis virtutibus decoratus non immerito promeruit: vir denique natione Gothus, generoso stemmate procreatus, familiæ splendore conspicuus; erat enim procerus corpore, forma perspicuus, statura decorus, obtutu gratus, venusto vultu, decora facie, nimiumque admirabilis aspectu; sed quamvis extrorsus habitus sui gloria esset decoratus, introrsus pulchrior habebatur, lumine sancti Spiritus illustratus, multis nimirum artium disciplinis existebat eruditus, multisque virtutum variis generibus, erat enim egregius in omnibus operibus suis, æquissimus, justissimus, nimiumque acris ingenii, et in omnibus disciplinis ecclesiasticis vehementer instructus, atque in divinis voluminibus perquam exercitatus: hic dum multis virtutibus coruscaret sacra doctrina nonnullos discipulos erudiens, sanctissimoque exemplo vitæ suæ instituens, prudentia videlicet, sanctitate, patientia, mansuetudine, misericordia, plurimos tales, qualis existit, limina justitiæ, sequendique dogmatis prædicatione effecit; cujus doctrina hactenus rutilat ac refulget Ecclesia in sole et luna. Dein cum per plurimos annos irreprehensibiliter rexisset Ecclesiam angelicis cœtibus copulaturus, omnibusque cœlestibus partium supernarum legionibus conjuncturus, mirabiliter artubus resolutis e corpore egrediens superni regni aulam cum Christo semper

Doctor Isidori, quem generat Domino  
Tu quoque ten FELIX MERITENSIS GLORIA GENTIS  
MASSONA consilio, pectore, note fide.  
Ambo pares animis, pietate et laudibus ambo,  
Inque domo magni murus uterque Dei.  
Vicisulis tolerando minas, animumque rebellem  
Regis, eum sceleris penituisse ferunt.  
Vos soboll regis biforem reserastis Olympum;  
Per nos alter enim martyr ad astra volat:  
Alter et ad roseas emergit luminis auras,  
Et qua luce caret, tunc jubar ejus habet.  
Vos memrant genti Gothæ tribuisse salutem,  
Linqvit cum invisum dogma, piæque tenet.  
Vos merito victrix laurus, sequiturque perennis  
Gloria, tot meritis debita magnificis.  
Semper vester honos, atque inclyta fama manebit,  
Vosque canent populi, sed magis astra canunt.  
Estis enim æterna præcincti tempora fronde  
Inter doctores splendidiore loco.

<sup>c</sup> Innocentius. Qui decreto Gundemari regis ær. 648 sic subscripsit: Ego Innocentius Emeritensis provinciæ Lusitaniæ metropolitanus episcopus, dum in urbem Toletanam pro occurso regio advenissem, agnitis iis constitutionibus assensum præbui et subscripsi. Plura de eo Moral. lib. xii, c. 22, et Padill. cent. vii, cap. 47.

<sup>d</sup> Renovatus. De quo vid. quæ ad cap. 2 notabimus.



mansurus, et sine fine regnaturus introire meruit. A  
 horum igitur supradictorum sanctorum corpora in  
 una eademque cellula haud procul ab altari sancti-  
 sime virginis Eulaliæ honorifice tumulata quies-  
 cunt: ad quorum denique veneranda sepulcra tan-  
 tam Christus quotidie confert copiosæ charitatis  
 gratiam, ut quacunquæ fuerit quispiam ægritudine  
 convexatus, quocunquæ fuerit etiam languore affli-  
 ctus; statim ut divinum Numen illic toto corde de-  
 poposcerit, omnes a se morbos discussos omnesque  
 maculas pulsas divinitus sentiens hilaris sanisque  
 ad cupiam per Dei gratiam pervenit sanitatem.  
 Quantitatem scilicet miraculorum obituumque simul  
 impeditus, ut potuit, sermo Christi militum enarra-  
 vit, qui quamlibet ex colore nimio peritis imperite

<sup>a</sup> In una eademque cellula, etc. Patrum (ut creditur)  
 horum Emeritensium sanctitate illustrium corpora,  
 quæ una quiescebant non longe ab altari B. V. Eu-  
 laliæ sacro, inventa fuerunt regum catholicorum  
 tempore, ut non semel testatur Moral. lib. et cap.  
 10, et l. b. xii, cap. 22.

Ex hoc libelli fine, vitæ etiam Pauli finis eliciendus  
 indubie est. In Renovato quiescente Paulus quiescit.  
 Renovato, cum per plurimos annos irreprehensibiliter  
 rexisset Ecclesiam, teste ipso Paulo, successit ille  
 qui in concilio Toletano IV. Stephanus Ecclesiæ Eme-

displaceat, omissa pompa verborum humiliter sen-  
 tientes, credentesque nobilitat, et quoddam emolu-  
 mentum bonæ mercedis legentibus audientibusque  
 accumulatur. Ego autem humilissimus omnium a fasti-  
 diosis lectoribus precor, ut legant prius hujus codicis  
 opuscula, et postea despiciant; ne videantur non ex  
 iudicio, sed ex odio præsumere, et ignorata damna-  
 re; illud tamen manifestissime cognoscant, nê a-  
 more Christi et dilectione sanctissimæ Eulaliæ im-  
 pulsus, ut scriberem, manifesta retulisse, vera pro-  
 culdubio veraciter exposuisse. Uni in Trinitate  
 Domino semper manenti, regnantique pereuniter  
 gloria, honor, fortitudo, gratiarum actio, virtus,  
 potestas et benedictio nunc et semper, et in sæcula  
 sæculorum. Amen.

<sup>B</sup> ritensis metropolitanus episcopus subscripsit. Conci-  
 lium habitum est ær. 571, regnante Sisenando. Pau-  
 lum circa hæc tempora obiisse non difficilem com-  
 probavimus, si Renovati jam mortui mentionem ab  
 illo factam animadverterimus. Vivebat itaque vivente  
 Stephano Renovati successore, cujus fortasse non  
 meminit, quia vivebat. Stephanum Paulo supervixisse  
 etiam palam est, cum scriptionem suam Paulus Ro-  
 novati morte (ut notum est) clausisset, aliter facturum,  
 si Stephanus in vivis adhuc non esset. Sed de his ad  
 Francisc. Padill. cent. vii hist. Eccles. Hisp., cap. 17.

## AOSPASMATION DE REBUS EMERITENSIBUS

EX HISPANIA ANTIQUA D. THOMÆ TAMAIO DE VARGAS, HISTORIOGRAPHI REGII.

FAMA. MANET. FORTVNA. PERIT. CINIS. IPSE. IACENTIS.  
 VISITVR. ET. TVMVLQ. EST. NVNC. QVOQVE. SACRA. SVO.  
 EXIGVA. INGENTIS. RETINET. VESTIGIA. FAMÆ.  
 ET. MAGNVM. INFELIX. NIL. NI. I. NOMEN. HABET.

(Ex antiqua inscriptione.)

### Epistola dedicatoria.

Illustrissimo domino D. Fredenando de Vera et Vargas, archiepiscopo S. Dominici episcopo  
 Cuzcensi, catholici regis consiliario.

Antiquæ Emeritæ laudes, cui potius consecrandæ dicandæque erant a me L. M. quam tibi, illustriss. Præsal,  
 qui illius optima et clarissima laus olim benevolentia fuisti, æternum fama eris; illa, cum in ipso ætatis flore  
 princeps ipsius senatus vexillifer Emeritam fueris tutatus, hac, cum tuorum tot meritorum gloria Emeritense  
 nomen ubique celebretur? Tibi, inquam, quem ob unum magnæ illius urbis potest si non exstingui, certe deside-  
 rium remitti. Nam si antiquitatem et originis præstantiam in illa veneramur, utriusque in te contemplamur  
 imaginem, cum ab ipsis imp. Romanis, quibus VERI cognomen obiigit, et ab heroe illo nostro GARCIA PEREZ  
 DE VARGAS tot illustrium in Hispania familiarum auctore, trahas stemmatum vetustatem et generis claritudinem.  
 Si priscorum monumentorum ruinam in illa dolemus, in tuo illa doctrinarum omnium capacissimo pectore  
 revivisse, in tua perdurasse mente rerum omnium ad miraculum secundissima cognoscemus. Si antistites  
 pietate, duces belli solertia, scriptores eruditione, et viros alios animi magnitudine præstantes Emerita potest  
 laudare, te etiam jactet necesse est, cujus religionem tam Occidui quam Evi orbis Ecclesiæ prædicant; cujus

. . . . . Ingenium et rerum prudentia velox  
 Ante pilos

non probata solum ipsis Emeritensibus, quorum tu aliquando

. . . . . Pars magna senatus,

fuit, sed etiam maritimæ Compostellani tractus oræ, ubi consilium tuum,

. . . . . Animusque victisim

Aut curam impendit populis, aut otia mæsis.

Cujus doctrina ita supra omnes omnibus nota est, ut nihil in universo encyclopædiæ regno Musarum sub manu æ-  
 ditione sit, quod tibi non item pareat communi consensu eruditorum; quos tanto honore et amore prosequeris,  
 ut effusis omnibus affectus et humanitatis copiis quem cujuscunque eruditionis nota insignierit, ultro quæras,  
 perurbane excipias, nunquam sine honesto miræ liberalitatis congiario, tuæ benevolentia pignore dimittas.  
 Aurum et invidendum aliis tui ordinis proceribus exemplum, te, etiam cum minus posses, in literatos, subæ-